

IN LABORE QUIES
DF SFD



LUGDUNI BATAVORUM
apud GEORGIUM WISHOFF.
M.DCC.XXXVIIII.



Hic ille utrinque sospitator TULPIUS
Inserviendo Sanitati et Patriæ.

L. Visscher sculp.




NICOLAI TULPII,

AMSTELODAMENSIS EXCONSULIS,

OBSERVATIONES MEDICAE.

EDITIO SEXTA,

Prioribus emendatior & auctior, cum Oratione Funebri Clar. *Ludovici Wolzogeni*, tum duabus Elegiis Celeb. *Petri Francii*, in Decessum Illustris & Amplissimi Auctoris.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GEORGIUM WISHOFF,
CIϽ IϽ CC XXXIX.


WELLCOME

PRÆFATIO
EDITORIS.

PRæſens, qui hic ſiſtitur, liber, licet jam quinquies impreſſus, adeo tamen ab omnibus veræ Medicinæ Cultoribus expetebatur, ut, quæ mihi ſupererant Exemplaria, eorum deſideriis explendis non ſufficerent: neceſſarium proinde fuit novam adornare editionem, quae in quibus melior ſit præcedentibus, paucis dicam.

Primo curavi, ut innumera vitia typographica, quibus ſcatebat prior editio, emendarentur. In eum finem lecta & relecta eſt noviſſima editio, & omnia, quæ deprehendebantur, vitia in margine notata ſunt, quæ in hac noſtra editione omni, quâ fieri potuit, adcuratione emendata ſunt. Qua cura effectum fuit, ut, ſi non omnia, pleraque tamen vitia, quintam editionem deturpantia, Lectores in hac non offenſura ſint.

Secundo, tabulas æneas, nimis certe detritas, denuo Artifici tradidi, qui priora lineamenta profundius æri inpreſſit; adeo ut tabulæ nunc depictas imagines longe vividius repræſentent.

Tertio, numerus Auctorum, qui a TULPIO noſtro citati ſunt, & ad calcem operis recenſentur, jam longe auctior eſt, quum in priore editione multi erant omiſſi.

Denique, adcedit novæ huic editioni LUDOVICI WOLZOGENI *Oratio funebris in deceſſum illuſtris & ampliſſimi Viri*, NICOLAI TULPII &c., una cum duabus Elegiis facundiſſimi doctiſſimique Oratoris & Poëtæ, PETRI FRANCII, Tulpianis manibus conſecratis. Novum hoc, & notabile

ſane, augmentum debeo benevolentiæ Viri Reverendi, WIGBOLDI MUILMAN, Paſtoris Hagani digniſſimi, jam emeriti, (cujus avus GULIELMUS MUILMAN, olim apud *Amſtelodamenſes* mercator ſolertiſſimus, uxorem duxerat alterius conjugis noſtri TULPII ſororem natu maximam,) qui orationem illam, in avunculi ſui magni honorem habitam, quam in ſcriniis ſuis reſervabat, ad editionem hanc locupletandam, benigne conceſſit: huic Viro, ætate, eruditione, munere, Reverendo, pro favore illo publice gratias ago, atque habeo, maximas; & ut diu & lætus charæ familiæ interſit, & ſerus in cœlum redeat, obnixè oro atque voveo. Hæc vero oratio, quum pleraque, & longe plura, contineat, quam quæ Expertiſſimus Vir, ABRAHAM SALOMON VANDER VOORT, *Medicinæ Doctor*, jam aliquot abhinc annis mortuus, in hiſtorica vitæ Tulpianæ narratione ex diverſis monumentis excerpſerat; hanc ob rationem Biographiam illam, priori editioni præmiſſam, in hac omiſi, ne pretium operis præter neceſſitatem augere, & Lectori tædium velle facere, viderer.

En igitur, Lectores Benevoli, novis curis editum, auctum, emendatum, Clari TULPII libellum, auro cariorem dudum æſtimatum: quem ut diurnâ, nocturnâque verſemini manu, & ex decies lecto, relectoque libello, voluptatem, utilitatem, & veræ eruditionis augmentum percipiatis, vehementer oro. Faxit DEUS, ut ex egregiis viris, ſtrenuam operam Medicinæ navantibus, & in iiſdem caſtris poſtea militaturis, plures exſurgant TULPII.

AD



AD
PETRUM TULPIUM
FILIUM.

Latè se pandit, Petre fili, in quo decurris, Medicinæ campus. Percoluere tamen illum certatim, cùm veteres, tùm recentiores, labore tam indefesso, ut vix quicquam ampliùs in eo desideres, præter certas, rariorum affectuum, observationes: utique remedia, infallibili usu comprobata. Quibus equidem confisus, præter tuum, & aliorum studium, haud leviter adjutum iri; decrevi tandem in commune dare, ac publici juris facere, quas tibi soli aliàs destinaveram, observationes, futuras fortassis Musis tuis eò gratiores; quò plures earum, vel coram videris, vel auditione saltem acceperis, à testibus oculatis. Quorum pars magna, utique eorum, quorum hìc passim nomina, in vivis cum sit, prodibunt fortè, nunc multò securiores, in publicum, quàm illis defunctis. Continent quippe non pauca, ut à communi usu sejugata; attamen verissima. Neque futura minùs ex usu Medicis; quam Geographis vel America, vel Freta, sive Magellanica, sive Lemeria, nostrâ saltem memoriâ, primùm inventa. Quibus ut non parum il-

lustratur Geographiæ gloria: ita neque hæc exempla fortè dedecori erunt Arti Medicæ, præsertim veræ. Quæ sanè tantum discrepat, à scientiâ umbratili, quantum imaginaria inventa, ab inconcussis, indubitatæ veritatis, fundamentis. Quibus qui innititur, næ is haud facilè contemnet; quin potius obviis ulnis excipiet observationes, quas demonstravit Anatome, verus Medicinæ oculus. Cujus lumine, ut irradiantur intima corporis penetralia; sic producuntur, ejusdem beneficio, quasi in claram lucem, abditissimæ, occultorum morborum, caussæ: vera mehercules fulcra, ac genuina Artis Medicæ stabilimenta. Quorum certitudinem siquidem vis penitùs adsertam, conjice oculos in lectissima illa exempla, quæ de rarissimis eventibus edidere, qui inter Medicos audiunt sagacissimi. Quippe exempla, velut lucidissima specula, repræsentant tam perspicuè aliena facta ac secula: ut vel cæco appareat, quid imitandum, quid fugiendum. Quâ certè scientiâ nihil Medicis utilius. Amplum enim, ac spatiosum est, in quo navigamus, æquor. Et in illo tot propemodùm vada, quot morbi; & tam frequentes scopuli, quàm scopi. Quorum periculis siquidem te satagas subtrahere; necesse erit cursum dirigere, per lineas, à peritissimis Palinuris notatas: aliàs fluctuabis incertus, instar oberrantis alicujus Euripi. Erisque non tam re, quàm specie, & ad solam pompam, eruditus. Nihil enim potest esse solidum, cui non subest ratio. Multò minus ulla artis decreta firma, quæ non comprobat usus, qui omnium Magistrorum superat præcepta. Ac proinde scitè Æschylus Poëta:

Qui

Qui fructuosa, non qui multa scit, sapit.
Noli itaque pede nimis libero vagari, sed coërce studiorum cursum, intra orbitam rationis ac usus. Et ut apes, ex floribus, fragrantia mella; sic selige tibi, ex optimis auctoribus, quod, sapientiæ rore adspersum, potissimùm facit ad hominis salutem. Certus, nullâ re Medicum propiùs ad Deum accedere, quàm salute hominibus dandâ. Quam certe Arcton tibi si signes, enavigabis feliciter quamcunque charybdin. Et, ubi animum instruxeris verâ internâque eruditione, dispelles facillimè, à te, futiles quisquilias, & confragosas illas, ineptarum disputationum, salebras, quibus dignitas Medica magis obscuratur, quàm illustratur. Quòd si verò animus te ducat ad sectiones Anatomicas; cavesis immoreris in externis lineamentis: descende ad interiora, & inquire non tantum in naturam viscerum; sed præcipue in loca ac caussas abstrusorum morborum. Quibus probè cognitis, licebit deinceps, & tuum lumen in aliorum immittere animos: &, ubi ea duntaxat ab oblivionis injuriâ vindicaveris, quæ sciri cognoscique publicè interest, mereberis optime, non tantùm de arte, quam colis; sed potissimùm de Republicâ, cujus civibus salutariter Medicinam facies. Quæ duo equidem ex animo voveo, qui tibi sum, non minùs affectu, quàm naturâ pater.

Amstelredami, ad annum salutis humanæ
CIƆ IƆ CXLI. XVI. Kalend. Octob.

IN EFFIGIEM

Amplissimi Consulis

NICOLAI TULPII,

Argenteo numismate expressam.

AMstelidum Consul, medicæ lux Tulpius artis,
  Ter duodenorum gloria prima Patrum:
Alba licet superet, crinis candore, ligustra;
  Ore nives; animo candidiore viget.
Felici effigie dum vultus pectora monstrat,
  Quid sit & exterius, quid sit & intus, habet.

I. Six.

LUDOVICI WOLZOGEN

ORATIO FUNEBRIS IN DECESSUM

ILLUSTRIS ET AMPLISSIMI VIRI

NICOLAI TULPII

Conſulis, dum viveret, Amſtelodamenſis, Athenæi Curatoris:

Habita Amſtelodami in Choro Templi Novi cum dedicaretur A. D. XI. Kal. Novemb. cIↃ IↃC LXXIV.



Uæ fuit animi conſtantia Pulvilli quondam Pontificis, cum poſtem tenenti dedicantique Capitolium mors filii nunciaretur, ut, diſſimulato tantiſper compreſſoque dolore, Pontificalis carminis ſolennia verba nihilominus conciperet: eam ſi vide-

bor hodierno die imitari, id profecto nulla in laude mea ponendum ingenue profiteor. Quamquam enim istam Ædem consecraturus huc accessi; neque me sum passurus vel publico funere Patris Patriæ à fausta nuncupatione abduci: istam tamen propositi constantiam, vere dicam, nolim credi me ab aliqua virtute mea potius, quam ab officii necessitate impetrasse. Neque enim in communi luctu totius civitatis, in tanto mœrore ordinis nostri Professorii, & in isto squalore Propinquorum ac Gentilium, quos hic atratos & animo dejectos assidere videtis, sustinerem festivam dedicationis cæremoniam obire, nisi me reluctantem etiam & invitum omnium maxima nec sine flagitio declinanda moveret autoritas. Nam & Amplissimi Domini Curatores me voce sua ex veteri formula jusserunt Adesse, ut verba præirem; quorum obluctari mandatis religio mihi est: & Senatus simul noster istas mihi partes imposuit, ut hæc justa celebrarem; quorum voluntati ut mo-

rem

rem geram jus fasque postulat. Quæ cum est per se ardua utraque ac difficultatis plena provincia, tum eo difficilior etiam earum administratio reddi putanda est, quod, quæ toto genere disjunctæ videri possint, in ejusdem tamen diei solennitatem incidunt ambæ. Omnia quippe læta & fausta bonique ominis sibi deposcit iste ritus dedicandi; hoc vero parentandi officium nihil affert nisi funestam mortis imaginem, acerbamque Defuncti recordationem: ut me anceps cura sollicitum teneat, quemadmodum sim moderaturus animum ac temperaturus orationem, ne vel ista lætitia impie credar illudere huic dolori, vel hoc dolore istam lætitiam importuno luctu fœdare. Vincenda tamen ista quanta etiam cunque difficultas est, quando id a nobis recepta nostris moribus consuetudo dedicandi tantum non efflagitat. Neque enim FINEM FARI satis habet Consecrator; inaugurare etiam Fanum excellentis argumenti oratione debet. Aliud autem excellentius argumentum,

etsi

etſi luctuoſum ſit atque funeſtum, majus tamen atque dignius aliud inveniri poterat nullum, quam quod nobis iſtæ exequiæ triſti caſu objiciunt. Stabat equidem ſententia, primis ſuſcepta cogitationibus, animos inflammare juventutis noſtræ, ut, excuſſa tandem inertia, litterarum ſtudia capeſſeret ardentius; quæ mihi nunc in aliud tempus ſepoſita cura reſervatur: mox animum ſubibat fiducia, Invictum Heroem noſtrum, ac terra marique belli Ducem inclytum, Principem Arauſionenſem illuſtri aliqua victoria lætam nobis dicendi materiam ſuppeditaturum; quam, dum illi maligne conceſſit invida fortuna, nobis etiam eripuit: noviſſime ſperabam fore, ut, extincto bello, pacataque Europa, Divæ Paci aram in hoc templo ponerem; quam vovere licet, nuncupare certe non poſſumus. Tulpio deſtinabatur conſilio cœleſtis providentiæ iſta cæremonia. Erat videlicet in fatis, ut, cujus Viri memoria conſecrari ad exemplum poſteritatis merebatur, is

esset potissimum hujus consecrationis argumentum. Consul quippe fuit Amstelodamensis; qua dignitate in Republica quidem nostra amplior est aut illustrior nulla: Curator fuit Athenæi; cujus respectu personæ ad nos electe pertinere ejus laudatio putanda est: verbo dicam, Tulpius fuit; hoc est, in tantum laudandus, in quantum virtus ipsa, quam late patet, intelligi potest: quem vel Judex Ægyptius quoque, necdum laudatum etiam, sepulturæ tamen honore dignaretur. Non collocaret ex more gentis in ripa lacus cadaver; non sisteret feralis cymbæ gubernatorem Charontem; non sollicite provocaret accusatorem anteactæ vitæ; non mitteret in suffragia causam ambiguam: solo nomine indicato, audito Tulpii nomine transmitti paludem juberet. Ista namque virtus est in oculis hominum, in publica luce versata; est singulorum conscientia, est comprobata judicio populi Belgarum: non illa sententiam expectat hemicycli, non ut consessui probetur Quadraginta Virorum: o-

mnis ætatis, omnis ordinis, ſexus denique omnis conſenſu, voce, plauſu conteſtata præmium abſtulit antequam eſſet decretum. Terræ nimirum jam nuper mandavimus triſtes Tulpii reliquias, deducente indictivum funus univerſa propemodum civitate; nunc demum laudamus Tulpium, ut conſtet, non diſceptari, laudene dignus habeatur nec ne dignus, quod jam eſt ipſius rei quadam anticipatione præceptum judicium; ſed ingentibus meritis debitas laudes exhiberi. Quem ego affirmarem dignum extitiſſe qui in hac urbe naſceretur, niſi dignus etiam fuiſſet, qui ipſam ornaſſet. Animi quippe pendeo, debeamne Patriæ tam illuſtris celebritatem ad Viri laudes transferre, an a Viri conſilio, prudentia, fortitudine, ſtudio, opera, caritate famam Patriæ arceſſere. Intuenti quidem, non Fœderati tantum Belgii, ſed orbis terrarum principem hanc Urbem, illi felices mihi videntur, qui ea gloriari poſſunt. Non me movent iſta quidem naturæ prodigia:
fœ-

fœdus aër, & reſpiratur tamen; aqua cœnoſa, & bibitur; nulla tellus, & habitatur; ſylva nulla, & caletur; hoc eſt abſque ſuis elementis ſibi tamen conſtans natura: non movent artis mirabiles effectus; iſta ſubſtructionum mole ſtupenda, operis artificio juxta ac ſui marmoris pretio conſpicua, octavum mundi miraculum, auguſta Curia; templorum magnificæ ſtructuræ, & hæc Ædes ſacro horrore veneranda; pauperum opulenta quoque domicilia, nec pauperes caſæ; coactum repagulis mare, domituſque cataractis Amſtela Fluvius; pontium continentibus prope fornicibus junctæ foſſæ; ſpatioſæ mercantium porticus; tot palatia quot privatorum ædes; in modum provinciæ diducta pomœria, ac ingens ambitus perpetuo muro cinctus; & hæc omnia aquis innatantia, defoſſaque abiete ſuſtentata: non movet induſtria gentis, quæ utrumque orbem commerciorum jure complexa, omne æquor navigat, omnem terram frequentat; quæ nullas meſſes facit, & abundat frumento; nullas vinde-

 mias,

mias, & circumfluit vino; incolit paludes, & eruit de montibus aliena metalla; triste cœlum spectat, & legit aromata; nuditatem tegit spoliis orientis; in summa paupertate ditescit non suis opibus; saltus non habet in aperta regione, facit sibi in stationibus suis, quas densa malorum sylva ac mobile nemus obumbrat; nihil habet, & habet omnia in hoc florentissimo totius orbis Emporio. Quæ etsi me vehementer afficiant admirabilitate sua, ad ea tamen animum intendo potissimum, quæ ad gloriam Amplissimi Senatus, cujus pars non minima Noster fuit, propius spectare videntur. Quamquam ipsa ea omnia quæ prudens omittenda duxi, non aliis quam tantis Rectoribus suis adscribere beata civitas possit, quorum est singulari providentia factum, ut opulenta, magnifica, admiranda habeatur. Sed est simul & anima Reipublicæ nostræ, pacis ornamentum, præsidium belli; publicæ pecuniæ fons & sacrum velut ærarium; consilii caput; ingentium cœptorum prin-

princeps auctor; rerum gerendarum maximum momentum; universi Belgii desperatis rebus extremum perfugium; spes ultima semper ac certissima salutis. Nusquam sanctius colitur religio, licet obsessa hæresi, superstitione, impietate; maxima civitas instar familiæ regitur; in tanta licet multitudine, tuta innocentia est, ac paterne defenditur, intutum crimen, ac severe punitur; summa libertas ac prompta obedientia simul conspiciuntur; vis imperii ac veneratio maxima, imperantium nulla, ne in cultu quidem habituque alicujus Majestatis insignia. Quid mirum Auditores? Tulpii sedent ad clavum: hoc est, Viri sapientes, quos vel æmulatus est Tulpius, vel ad sui æmulationem excitavit. Quid vitam imputas Tulpio, & hanc lucem Regina urbium Amstelodamum? reddidit cum fœnore beneficium, ac inter eos conspicitur, qui vitam tibi tuam, sed & gloriam, & hoc sempiternum nomen peperere. Patrem habuit qualem dare honoratissimum ista Patria potuit, Emporii

maximi Mercatorem magnarium, virum eximium & opulentum, Petrum Theodori, cui fausto nupta conjugio sanctissima matrona Theodori pariter Gertruda a. d. v. Id. Oct. anno superioris sæculi tertio & nonagesimo, nostrum hunc Nicolaum Tulpium felici partu edidit. Vitam & virtutem à Parentibus accepit, cætera sibi ac virtuti suæ debuit; quæ solida demum & vera laus est, ac propria Reipublicæ nostræ: in qua nil generi datur, nil fumosis imaginibus; nil conceditur factis alienis, nil avorum memoriæ; quæ non nasci Consules, sed fieri voluit; non hæreditatem haberi dignitates suas, sed præmium virtutis. His moribus civitatis, quos testamento dare Majores non potuerunt, ipse virtute sua adeptus est honores amplissimos, Auctor suæ nobilitatis, Princeps generis, fortunæ Faber. Jamque aliquid iste Faber architectari videbatur, & animo agitare atque moliri magnæ rei, cum ad cultum humaniorum litterarum animum adplicuit. Habet quidem

in

in Mercuriali hac urbe dignitatis haud parum mercaturæ ſtudium; utilitatis autem plurimum; cenſentur iſta ſolertia cives: pace tamen eorum id dixerim, & bona cum venia tua, Theodore Pater, cui id etiam laudi datur, quod talem genueris, ad altiora natus erat Noſter, quo, cum citato gradu fiduciæ plenus eniteretur, ſapientiæ præceptis ut erudiretur, pro virili ſua parte contendit; quod hanc viam, non unicam tantum eſſe, ſed & certam perſpiceret, multis calcatam ejuſdem virtutis & animi viris, ad ſummum in Republica dignitatis faſtigium. Mox igitur ad ſapientiæ templum, Muſarum domicilium, omnis eruditionis matrem & altricem Leydam ſe contulit: necdum enim ſuum Lycæum habebat Amſtelodamum; quo ſtante, etiam Leyda carere poſſumus. Quin Leyda poterat tunc quoque Noſter carere, quam ut inviſeret, famæ dabat, potius quam alicui neceſſitati ſtudiorum; quæ rara quadam ingenii felicitate ſic apud ſe coluit, ut ipſe ſibi

ſibi erudiendo ſufficere intelligeretur, tam ſui felix Magiſter, ut mox aliorum quoque Doctor renunciaretur. Medicam enim artem erat amplexus, quam, cum niſi ritu ſolenni initiatus facere non poſſet, toga ſe indui paſſus eſt, ut, quod vehementer vellet, etiam liceret. Nam ad inanem gloriam eum haud tranſtuliſſe blandientes honoris titulos, toties ipſe teſtatum fecit, quoties habuit de rebus Medicis Orationes anatomes in hac urbe Patria Profeſſor celeberrimus. Habuit autem cum bene multas, tum vero luculentas, & artis ſuæ refertas eximiis obſervationibus. Quas Vos equidem, Ampliſſimi Hæredes, peccaveritis in commoda generis humani, niſi verecundiæ auctoris ſubtractas, in publicam lucem miſeritis. Cætera quæ præſtitit in Medicina probabit ipſa qua vixit integra propemodum ætas Reipublicæ noſtræ: nec enim recenſeri ſingulatim poſſunt, quia numerari non poſſunt, qui Tulpio vitam, & quod vita majus eſt, ſine do-

dolore vitam referunt acceptam: ſolo tempore ſignari curationes Tulpii poſſunt, quod cum omnes ejus æquales comprehendat, omnes habuit, qui quidem egerent Medico, ſibi debendi reos, niſi quos multitudo ac turba petentium opem interclufo velut aditu arceret. Nunquam enim egrediens vacuam domum Conſulentibus reliquit; nunquam invenit vacuam ingrediens, ut, cum unus infinitis non ſufficeret, plures abirent inauditi, quam acciperent reſponſa. Sola manendi pertinacia, totumque diem præſtolandi, donec reverteretur, obſtinatis profuit. Nam a primo diluculo ad feram uſque veſperam, ſola interpoſita prandii horula, ipſam veluti circumferens ſalutem, auctor ejus & effector, indefeſſus totam urbem pererrabat. Summi, imi, medioxumi pariter adire, pariter arceſſere Tulpium; illi probare judicio ſuo artem Medici; iſti caritatem etiam Viri ſua gratiarum actione laudare: univerſi omnibus numeris abſolutum Archiatrum

trum & ſuæ ſalutis alterum velut Æſculapium experiri. Vultu, voce, alloquiis recreabat ægros antequam remediis, animi prius quam corporis curator. Corpus autem non multa, non exotica fatigabat medicina; naturam hominis & indolem regionis ſequi inter artis præcepta ponebat; illam leniter erigere proſtratam, erectam animoſius firmare, firmatam demum omnibus copiis ad expulſionem contrariorum armare prudentiæ Medicæ arbitrabatur: ſed & ſcientiæ, ſui cœli ac ſoli herbas, radices, ſuccos longo uſu edoctum noſſe, quod exiſtimaret, erudite profecto & ſapienter, nullam in orbe terram ſic eſſe a novercante natura expoſitam atque projectam, quæ non ſuis malis nativa proferret & genuina, ac propria remedia: quæ cum obvia ſint & congruentia, promptius & certius deſtinatos veluti hoſtes vincere credenda ſunt. Quod ſingulari libro copioſe Noſtrum demonſtraſſe laudi ejus apponerem, niſi laudem ipſe ſuam ſibi invidiſſet, qui

qui librum flammis dari juſſerit. Noluit altera vice modeſtiam ſuam expugnari, cui ſemel vim fecerat utilitatis publicæ magis quam ulla ratio famæ: quam tamen omnium maximam illi conciliarunt apud artis peritos Obſervationum medicarum libri quatuor, ab ipſo editi, emendati, aucti: &, ut pluribus prodeſſe poſſent, moribunda quoque manu, ac ipſa negante officium, ore jam pallido, ſed mentis ſemper compos, in Patrium vertit ſermonem. Hic videbunt & mirabuntur, quos iſta tenet curioſitas, in arteriis calculos, in corde polypos, in veſica capillos: hic deprehendent innoxios cancros, abſciſſos pulmonis absque periculo lobos, ſaucium jecur & ſanatum, alte vulneratum princeps viſcus, nec eliſam animam: hic obſtupeſcent alium viſu intelligentem verba ſurdum, alium reſpirantem per aures, rurſus mutum loquentem alium: hic legent fractas calvarias, & ſalutarem modioli uſum: hic longos ſudores & annorum triginta ſanguineum ſputum:

tum: hic ejectas ore turundas: hic matrum intemperies & infaustos partus, & quicquid monstrifici lasciviens edit aut errans natura. Quæ quidem observatu difficilia, usu fructuosa, jucunda perceptu longe etiam plura haberemus, nisi magnum auctorem graviores curæ distrinxissent. *Hic enim, ille utrimque sospitator Tulpius Inserviendo sanitati & Patriæ*, quo titulo fulget effigies Viri, a singulorum civium curatione, ad universi corporis medelam est evocatus. Est enim societatis hominum, ut hominum ipsorum, quædam quasi vita, est sanitas, est morbus. Huic Medicinam parare, etsi sit alterius artis, ejusdem tamen esse Medici potest. Non ego vobis Ægyptium adducam Osirim, & filium Apollinem Orum, suæ Reipublicæ auctores simul & inventores Medicinæ: non peritissimum artis a medendo quoque dictum Jasonem: non Herculem, aut Achillem, aut Zoroastrum, antiqua nomina & vetustate obsoleta. Audeat mihi quisquam negare Magnum Re-

gem

gem fuiſſe Alexandrum, quia medicinam quoque fecit amicis: audeat Imperatoriam dignitatem Auguſtis detrahere Adriano, Antonino, Conſtantino IV. quia Medici fuere: audeat ingentem Mithridatem affirmare non intellexiſſe artes regnandi, quoniam antidotum invenit ſuo quoque nomine in hunc diem inſigne: audeat Avicennæ principatum auferre Cordubæ ſuæ, quia nullam medicinæ partem reliquit intactam: & tum poſtea demum audeat Tulpio de geſtis Magiſtratibus controverſiam movere, quia Medicus fuit. Enimvero hic Medicus ex artis ſuæ præceptis curavit cum aliis nunquam ſatis firma valetudine Rempublicam. Quæ natura ejus eſt, ut priſtinam regiminis formam, & ab ultima ſuſceptam origine conſervet, eam ſecutus eſt, ex monito ſuo Medico, *Optima vivendi lex, propria cujuſque natura:* ut æqualis fieret per omnes partes Reipublicæ alimentorum diſtributio, neve tumeſcente per negotiatorum monopolia

liene cætera membra tabefcerent, dedit operam: falubrem præfcripfit diætam, iftamque nimiam habendi libidinem, finefque proferendi, ceu avidi ventriculi morbum infregit ac repreffit: quæ ingerebantur ut egeri poffent, libero facilique tranfitu mercium, curæ habuit: adverfus aëris intemperiem & Septentrionis frigora, & excitatas fole Gallico nebulas, ac peftilentem quemvis afflatum, vimque omnem externam domo fe munire ac foco, non viribus, ac robore, aut fiducia fanitatis experiri voluit: noxiis expellendis humoribus non deerat illi fuum hieron picron; nec helleborus, ubi pravis confiliis effet occurrendum: erat cum ureret, cum fecaret, cum partem affectam immedicabili gangræna enfe refcinderet. Vidimus recreantem cardiacis & refocillantem adhortationibus, ac demulcentem mitium verborum fomentis defperatam nuper, & conclamatam, ac tantum non animam agentem Rempublicam. Hæc egit Medicus: fed Me-

Medicus Senator duobus & quinquaginta annis; ſed Medicus ſextum Scabinus; ſed Medicus quartum Conſul: hoc eſt, laudante Iſocrate, Virorum primus, medius, noviſſimus. Fieri quippe non poterat, hoc animo cum eſſet, hac virtute Tulpius, ut ſunt iſti carceres honoris ſemel aperti, quin mox ad metam properaret, mox etiam perveniret: dubium profecto, citatiorene curſu, an per aſperiora ſpacia. In ea enim tempora inciderat, quæ poſt natam Rempublicam, cum periculorum magnitudine, tum vero negotiorum mole, erant omnium difficillima. Vidit ſub præſidio Principum Arauſionenſium florentem Rempublicam: vidit mox eandem erepto Gubernatore fluctuantem, & permiſſam ſibi ac tempeſtatibus ſuis: vidit noviſſime redditam Statori ſuo atque Vindici Guilielmo Henrico; ac ſic redditam hæreditaria tutela, ut eripi amplius non poſſit: in hoc tranſitu cum eſſet Reſpublica, in hoc fatali cardine cum tam periculoſe ver-

 tere-

teretur, in Rectoribus fuit, fuit & in Conſervatoribus. Hæc domi ancipitia: foris internecinum cum Hiſpanis bellum, & glorioſa pace compoſitum: cum Anglis ſemel, iterum, tertium erumpentes in nervum ferales inimicitiæ, & æquo fœdere extinctæ: cum Gallo de aris & focis, de bonis, de libertate, de vita denique ac ſalute deſperata dimicatio, & in ſalutem verſa Reipublicæ. Stetit animo ſemper infractus, conſilio potens, opera ſtrenuus, incumbens ſtudio ſuo, cedere neſcius, ac ſtationem invicto mentis robore defendens Tulpius. Qui ſeu rerum ſummæ adhiberetur Hagæ Comitum, Delegatorum Ordinum Conſiliarius, quem toto quinquennio geſſit Magiſtratum; aut ipſius Ordinum Concilii Senator, id ſemper operam dedit, ne quid Reſpublica detrimenti caperet: ſeu Urbis Patriæ habenas moderaretur, ejus commodis unice ſtuduit, idque tam impenſe, ut nullius muneris officium, rei nullius adminiſtrationem, quæ qui-

quidem in publicam utilitatem redundaret, aut detrectaret oblatam, aut a se alienam arbitraretur. Non Litterario Ludo negavit operam Scholarcha; non Ecclesiæ Senior; non Athenæo Curator. Habet ille pulvis scholasticus minutam certe, molestam ac tetricam inspectionem: at est alia nulla fructuosior Reipublicæ. In hac palæstra formantur Christiani, in hac Cives; assueti ferulæ fascibus se submittunt, sequuntur pedum; discunt pueri, quod doceant Viri, quodque jubeant: ipsa virtus universa non alio semine concrescit, non alia radice pullulascit: quod vere homines sumus non Parentibus magis, quam Magistris debemus. Non in Virum evasisset Tulpius, nisi puerum scholastica subsellia vidissent: non in Doctorem, nisi discipulus fuisset: non in Rectorem Civitatis, nisi Magistris ante subjectus. Memor fuit Tyrocinii sui, nec recusavit huic fonti præesse, ut puro semper ac fœcundo latice saliens, multos pos-

ſet effundere Tulpios. Sed rivulis quoque ſapientiæ proſpectum voluit, ne vel intercepta unda exareſcerent, vel turbata cœnoſi fluerent, dum Illuſtrem Scholam fovit Curator, quæ trivialibus emancipatos adoleſcentes excipiens, maturiori diſciplinæ traderet. Ita viſum eſt Patribus Conſcriptis, ut, cui de cætero nil deeſt ad magnitudinem famæ, nec deeſſet litterarum ſtudium Urbi ſuæ, ſine quo ne fama quidem ipſa, aut late diſſipatur, aut ſervatur diu. Quamquam non cuſtos tantum famæ, ſed pars etiam ſit ordo Profeſſorius, & forte Voſſiis ſuis ac Blondellis alicubi celebretur Amſtelodamum, ubi cæteræ laudes ejus conticeſcunt. Civibus utique incredibilem afferret utilitatem, ſi bona ſua intelligerent. Quanti enim illud eſſe putatis, ſub oculis Parentum, ſub cuſtodia domeſticæ diſciplinæ liberos erudiri? procul ab illecebris voluptatum, ab avocamentis ſtudiorum haberi? præſentia urgeri profectus, exigi quotidiano examine? iis infi-

infici opinionibus, quæ congruant rationibus Civitatis? iis artibus imbui, quæ utiles esse possint? non alienari sensim a Patriæ notitia, a caritate? non alterius Reipublicæ cives fieri, ut sint hospites in sua? non denique peregrinis moribus assuescere, patrios oblivisci? Quæ cum tanta in hac re insint momenta, quamobrem, obsecro, foris tam anxie quæritis quod habetis affatim domi? Quid autem illud est denique, quod tantopere quæritis? Philosophiam? Ipse sui sæculi Princeps est Philosophiæ de Ray, & adest, cujus causa Leyda frequentabatur. Mathesin cæterasque liberaliores disciplinas? Nusquam hunc invenietis, vel arte sua, vel industria nulli secundum de Bie. Medicinam? Tulpio placuit Blasius, cui nil placebat quod esset vulgare. Jurisprudentiam? Dignus est juris Antecessor, cum doctrinæ soliditate, tum vero solertia docendi nemini concedens Faber. Eloquentiam & litteras humaniores? Est in Francio redivivus, &

qualis iſta fuit ætate, Gronovius. Nam de me nil habeo dicere; veſtrum judicium eſto: id meum eſt, non me luſiſſe operam, ſi mea voce fueritis ad hos audiendos excitati. Excitari autem par eſt vel ea ſola ratione quod Curator tamdiu fuit Tulpius, qui ne hanc quidem curam ſuſcepiſſet, niſi & utilem exiſtimaſſet. Ac ne quam partem Civitatis expertem relinqueret induſtriæ ſuæ, voluit eam quoque haud gravate impertiri Eccleſiæ: quæ cum Dei ſit, Dei laudibus ornetur, non noſtris, quas omnes vel exquiſitiſſimas etiam antecedit. Eſt ea non judice modo, ſed & auctore Deo, genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus ipſi proprius. Eſt arca Noë, tabernaculum Semi, Bethel Jacobi; eſt domus Dei, Civitas ſancta, Hieruſalem cœleſtis, columna ac ſtabilimentum veritatis. Eſt lilium inter ſpinas; eſt rubus ardens nec conſumptus: eſt columba ac ſerpens; Sponſa Chriſti eſt & lectus; vinea & palmites, ager & ſemen; navis

vis & pisciculi; est in Cœlo luminare, in terris candelabrum; est amicta Sole, calcat sub pedibus Lunam; militat in terris mox in Cœlo triumphatura. O sanctam! ô beatam! ô dignam Deo suo! dignam Dei filiis Ecclesiam! Adeone generi mortalium indulsisse benignum Numen, ut usquam in terris extare voluerit? Extat & in hac quoque Urbe: ac sicuti erudienda data Pastoribus ac Doctoribus est, sic & regunda Senioribus: qui cum doctrina, pietate, probitate, morum gravitate; tum vero singulari prudentia ac caritate debeant esse conspicui, ut eximantur populo virtutibus etiam antequam delectu, debuit Senior esse Tulpius, & vere fuit, qui virtutes istas & attulit, & explicuit. Dicerem qua fide, nisi magis etiam illas exeruisset in commodum Ecclesiæ, cum potuit illi non consilio tantum, sed & auctoritate prodesse, Consul factus & ad Senatum Ecclesiasticum Delegatus, semper ejus Patronus, Fautor & Defensor. Nusquamne igitur

tur deprehendemus Tulpium, nisi publico inservientem? non in Schola? non in Athenæo? non in Ecclesia? non Hagæ? non Amstelodami? sed ne in domo quidem sua? ac ne quidem igitur privatos intra parietes? Illud non dicam, publicam fuisse domum obsidentium turba: hoc ausim affirmare, cum uxorium quæreret levamentum, non fecisse videri sine respectu Patriæ. Hanc habuit etiam in oculis cum liberis operam daret, quos illi genuit, magis etiam quam sibi: intelligebat enim eam indigere talibus civibus, qui sui essent simillimi, ac interesse Civitatis ut plures Tulpii nascerentur. Non totum tamen votum implevere fata, quæ solum virilis sexus Theodorum Tulpium*, Sylvarum

* Ex cujus filia, *Esthera Elisabetha Tulp*, nupta Viro Amplissimo *Joanni à Bempden*, J. C., Scabino & Senatori Amstelodamensi, nati sunt Vir Amplissimus *Ægidius à Bempden*, J. C., cum maxime Consul Amstelodamensis; ejusque sorores, *Anna Elisabetha à Bempden*, hodie dignissima uxor Amplissimi Viri *Joannis Six*, J. C., Domi-

varum Hollandiæ Concilii Aſſeſſorem, Scabinum, & Indicæ Societatis Moderatorem, reliquere ſuperſtitem: niſi & totum in hoc ſolo impleviſſe dicamus, qui inſtar multorum eſt, paterni nominis ac virtutis ex aſſe hæres. Çæteros ex prima conjuge Eva Egbertia van der Voegh ſuſceptos, Petrum Medicinæ Doctorem, Egbertum Mercatorem, Nicolaum prima juventa florentem præmatura mors abſtulit: niſi quod ex Catharina Nepotes ſuſtulit duos, hunc Virum Clariſſimum Henricum Tholinx Juriſconſultum in paucis, ac Virum Strenuum, Petrum, Centurionis Optionem: Neptes itidem duas, lectiſſimas Virgines, Evam & Margaretam. Qui quidem omnes Patre nati ſunt Viro Ampliſſimo, Spectatiſſimo atque Experientiſſimo, Arnoldo Tholinx, Commiſſario, Medicinæ

Domini in Hillegom & Vromade, Conſulis & Senatoris Amſtelodamenſis; de quo etiam mox; item *Eſthera Agatha à Bempden*, denique *Gertruda à Bempden*, ambæ adhuc in vivis.

dicinæ Doctore, qui solus effecit artis suæ peritia ut ne Tulpium Medicum desideremus. Sed nec ex altera Conjuge Margareta de Vlaming ab Oudshoorn † susceptam omnem prolem

† Filia Amplissimi Viri *Petri de Vlaming ab Outshoorn*, Consulis & Senatoris Amstelodamensis; orti ex pervetusta Familia *Guilielmi ab Outshoorn*, Equitis, Domini in Outshoorn, Aarlanderveen, Vryenhouve & Gnephoek: qui obiit 2 Aprilis Anni 1300; cujus uxor erat *Machtilda à Raaphorst*; quæ obiit 5 Augusti 1310: quorum filius natu minimus, *Jacobus ab Outshoorn*, fuit quadragesimus quartus Episcopus Ultrajectinus; qui obiit 22 Octobris 1322. Prædictus autem *Petrus de Vlaming ab Outshoorn* obiit 10 Augusti 1628. quartùm Consul Amstelodamensis, nullam quidem masculam prolem relinquens; at quatuor filias: ex quibus progenitæ sunt variæ Familiæ, etiamnum superstites.

Nupsit enim primogenita ejus filia, *Eva de Vlaming ab Outshoorn*, Spectabili Viro *Guilielmo Muilman*, apud Amstelodamenses Mercatori solertissimo, Avo Venerandi Viri *Wigboldi Muilman*, Pastoris Hagani Senioris, qui adhuc est in vivis cum Familia sua.

Secunda, *Margareta de Vlaming ab Outshoorn*, nupsit Huic, de quo heic sermo est, Amplissimo Viro NICOLAO TULPIO, Med. Doctori, Consuli & Senatori Amstelodamensi: ex cujus filia *Margareta Tulp*, nupta Amplissimo Viro *Joanni*

lem tollere potuit & educare. Studiis operam dantem amisit Symonem; in ipso vitæ ingressu etiam Evam: sola Margareta relicta est, sui sexus ornamen-

ni Six, Domino in Wimmenum & Vromade, Consuli & Senatori Amstelodamensi, prognatus est Vir itidem Amplissimus *Joannes Six*, J. C., Dominus in Hillegom & Vromade, Consul & Senator Amstelodamensis, adhuc superstes: cujus filiolus, *Joannes Six junior*, nuper 1 Aprilis 1737. solemniter jecit primum fundamenti lapidem magnifici Hospitii dicam an Palatii Amstelodamensis, quod Hagæ Comitis etiamnum hodie ædificatur.

Tertia, *Elisabetha de Vlaming ab Outshoorn*, nupta Viro Insigni *Jano Slicher*, enixa est Virum Præclarum *Wigboldum Slicher*, J. U. L., Præfectum Ærarii rerum belli maritimi, quæ pro Republica Batava Amstelodami administrantur; ex quo *Wigboldo*, præter varios etiam ex aliis filiis jam defunctis nepotes, adhuc superest cum sua Familia filius ejus, Vir Amplissimus *Antonius Slicher*, J. C., Curiæ Hollandiæ, Zelandiæ, ac Frisiæ, jam plus dimidio seculo Senator.

Quarta denique, *Catharina de Vlaming ab Outshoorn*, nupsit Viro Conspicuo *Zachariæ de Rothé*, Avo Strenuissimi Viri *Diderici de Rothé*, Liberi Domini Rondivisiæ, Wesdhlenæ, &c., Sacri Romani Imperii Nobilis, nunc in Statu Regni Borussiæ inter Nobiles Nobilis adscripti, olim Serenissimi Principis FRIDERICI AUGUSTI, Regis Poloniæ, Electoris Saxoniæ, &c. &c. &c. Satellitum Equestrium Præfecti.

mentum, ac digna Conjux Amplissimi Viri, Joannis Sixii, Domini de Vromade, hujus Civitatis Scabini, in cujus amore, consilio, opera, eruditione, alloquio, suavitate Socer Tulpius unice conquiescebat. Est enim Vir ille, quod Vobis dictum velim, Auditores, non Tibi, Amplissime Sixi, qui mereri mavis, quam audire istas laudes, est eo pietatis sensu, ea morum probitate, gravitate, ea soliditate judicii, ea constantia in utraque fortuna, ea in amicos immota propensaque voluntate, eo demerendi placendique studio, eo candore, ea comitate, ea elegantia, ut certius haberet aliud nullum senectutis solatium Tulpius. Nam exquisitam in omni genere disciplinarum eruditionem Viri; rei antiquariæ peritiam studio parem; sagacem in detegendis vetustatis monumentis, in dijudicandis perspicacem mentem; elegantiorum litterarum ac litteratorum amorem, & cætera quæ Virum undique doctum absolvunt, non attingo. Nec enim

una

una oratione laudari uterque Tulpius & Sixius possunt, qui singuli suam poscunt aquam, & propriam implent dicam an excedunt panegyrim. Poëtam hujus sæculi magnum & excellentem haberi non possum tacere, nisi Tulpii velim laudes tacere; quas ille mortui epitaphio, vivi carmine sic est executus, ut tum demum dignum contigisse laudatorem Tulpio dixerim, cum laudaretur a Sixio. In summam contraxit laudes ejus, cum argenteum numisma cudi jussit, cujus altera pars exhibet solam effigiem Tulpii, altera cedrelatem, nubibus inferentem alti fastigii decus, crudam Viri vegetamque senectam indicantem, isto ex Principe Poëtarum sumto titulo, *Vires ultra sortemque senectæ.* Nihil quippe vel Poëtæ dicendum relinquitur, ubi sacer ille vultus conspicitur, ingentis animi certissimus index: solam ætatem, quia pars Viri non est, symbolo notari par erat; neque commodiore alia, quam ista cedrina æternitate significari poterat, quia ad miraculum

erat

erat provecta, & viridior etiam quam provectior. Celebrabat enim suum Jubilæum solenni convivio octuagenarius senex, exacto Senatorii laboris anno quinquagesimo. Quamquam de Jubilæi festivitate nihil sibi sumsit, præter sanctam in Conservatore suo lætitiam; expiandi peccati religiosam deprecationem, innocuam amicorum gratulationem, & erga Collegas grati animi testatam summa cum benevolentia significationem: vacationem curarum, missionem militiæ, ocium, quietem, adeo non habebat in animo, ut laborem etiam deposceret, ac videretur ingredi velle viam, quam erat emensus, & quamquam emeritis stipendiis, novo Sacramento operam suam Reipublicæ voluntarius miles addicere. Tum demum rude se donandum affirmabat, cum ad æternos triumphos summus esset Imperator evocaturus. Nec mora: audita buccina cœlestis Jubilæi est: evocavit Imperator decretoria lege, Tulpius prompto secutus est obsequio: secu-

tus

tus eſt ad quietem volens lubens, qui nec erat manſurus in opere invitus. Nam in ipſo opere verſantem, ſtantem & adminiſtrantem Rempublicam, volventemque animo caſus Patriæ divina juſſa deprehenderunt. Omnium primo ſenile corpus afflixit atrophia, abhorrente natura ab omni qua tum maxime deficiens indigebat, alimonia: mox ſecuta quæ Græcis dicitur anaſarca eſt, lethali humore per omnia ſe diffundens, permeans omnes artus, parteſque conſiſtentes peſſime macerans, & in fœdas aquas diluens: hanc, inquiebat, corporis jam ſecurus, hanc mox excipiet Euthanaſia. Vates haud vanus fuit: prope aberat finis, at qualem ſancti optant. Nec vatem fuiſſe ſatis habuit; implere etiam vaticinium intendit: & quia pertinere ſciebat ad exemplum mortem ſuam, cujus fuerat exemplum omnis vita, advocari domeſticos voluit, futuros ſuæ pietatis teſtes: non aderant vires, ut jungere manus poſſet; adduci juſſit, ne viderentur

ad iratum Deum & ſuæ calamitatis auctorem tendi nolle: tum vero ad ipſum tota mente converſus, uti peccatori ſibi, at ingemiſcenti peccatis, implorantique clementiam ejus, ſanguine Filii ſui placatus, veniam daret, piis precibus enixe contendit. Ut annuere ſenſit Deum, impatiens moræ, Quid ceſſas igitur, Domine, quid moraris, inquit? quin liberas iſta cuſtodia corporis jam liberam tuo beneficio, jam ſibi redditam animam? quin recipis ſpiritum, Pater, properantem in ſuam originem? O veni, Domine Jeſu, veni cito, Jeſu Servator! Ut mortem ſenſit, adesdum, inquit, & congredere: fac virium experimentum: non eſt par male compoſitum, mors & Vir pius: tu corpus perimis, nec perimis tamen, mox vitæ reddendum; ille victoriæ certus ac triumphi, vel tibi te conficiendum tradit, & mortem morte multat: ubi latitas, iners? quid tergiverſaris? Mox anheli pectoris ſingultus audiens, adeſt, en! inquit, audin illam?

lam? & in ipſa voce extinctus eſt, tam tacito animæ deceſſu, ut ſpectatores quoque in id intentos falleret. O dignam iſta vita mortem! o dignam iſta morte vitam! Vixit ceu moriturus aliquando; mortuus eſt ceu æternum victurus: mortem auſus eſt provocare, quam non timeret; vitam potuit contemnere, quam non deperiret: vitam egit caſte, ſancte, probe; mortem excepit lætus, hilaris, & gaudii ac ſpei plenus: ſine perturbatione vita fuit; ſine ſenſu mors; placida illa & procul a tumultu, procul a ſtrepitu; tranquilla iſta & abſque dolore: fuit tamen vita, fuit ecce! Tulpius. Ah! fuit, nec fuit tamen: fuit quicquid caducum habuit & fragile, & iſto tumulo compoſitum tegitur, ac putreſcit; nec fuit, quod in ſpem beatæ reſurrectionis quieſcit, ac in germen immortalitatis putreſcit: fuit quod hominis erat, corpus fuit; nec fuit quod hominem fecit, anima non fuit: fuit Conſul, fuit Curator, fuit Scabinus, fuit quicquid erat Tulpius;

 nec

nec fuit tamen Tulpius: quem non dicam ſibi ſuperſtitem eſſe ac vivere in marmorea ſtatua, quam habet ſpirantem Sixius ex arte Quilini; in librorum monumentis, quos edidit ipſe; in fama hujus urbis ſempiterna, quæ ſuum auctorem ſecum mittet in ſæcula: at vivit in animis noſtris, vivit in pectoribus, vivit in pia recordatione virtutum, quas nulla unquam delebit oblivio. Hæc vero ſunt quæ de Tulpio ſentimus, hæc quæ loquemur, hæc quæ ad poſteros transmittemus: Habitudinem corporis & indolem animi ſe mutuo provocaſſe, ut neſcias utra alteram in ſuo quæque genere antecelleret, adeo utraque ſortis humanæ modum implevit. Mediæ formæ corpus ipſi fuit, nec in Gigantem aſſurgens, nec depreſſa in Pygmæum; non adipe turgens, aut macie exangue; ſed ſolidum, collectum, ac ſucci plenum; ad omnes functiones agile, nec ſua mole impeditum; vegetum, patiens laboris, expers morbi, quodque Dominum non

non occuparet, & artem Domini quoque contemneret; nisi quod fœdus se æquis conditionibus cum ventriculo contraxisse affirmaret, qui se facturum officium ea lege polliceretur, ne eum immodico cibo ipse gravaret. At quo vultu se prodidit intuentibus! Quæ species oris! quam digna imperio! quæ gravitas! quam digna coli! quæ venustas & amœnitas! quam amari digna! qui pudor! qui candor! quæ probitas! quæ honestas! quam digna laudari! Jam sanctum illud caput, nivali canitie venerandum, frontis istud decus, oculorum serenitatem, ipsius nitorem coloris & compositos motus, quis possit intelligere nisi videat Tulpium? quis explicare, nisi ostendat Tulpium? Necdum tamen Tulpium habemus: domus illa Tulpii fuit, quam ingens hospes implevit; nec enim vilis anima poterat istud palatium incolere. Ipsa Virtus hic habitavit. Pietas Viri tanto laudanda impensius, quanto sunt rariores sæculo nostro, qui Deum
 cole-

colere & hominibus imperare una vel ſciunt vel volunt. Fortitudo ultra togam quoque ivit; nec dubitavit eripere telum inferenti lethalia vulnera ſocio civi, & obtorto collo facinoroſum in vincula rapere. Temperantiæ ſuæ debuit longam proſperamque valetudinem. Juſtitiam horreſcere ſontes, inſontes etiam expetere. Pauperibus gratuitam ac ſedulam nihilominus operam navare; ſaucios milites adire, ſolari, curare; quærere miſeros & egenos; obviam ire neceſſitati, ſuccurrere pudori, prævertere preces, ſuperare vota, inter quotidianæ caritatis officia ponebat: liberalis cum fuit, grandes etiam dotes dedit virginibus non ſuis. Moderatus in ſecundis, in adverſis conſtans: honores nec ambire, nec recuſare; niſi quod decretam olim ad Brandeburgicum Electorem Legationem modeſte declinavit; ad ſe currentem pilam, ſic ipſe loquebatur, excipere; prætervolantem non captare, non ſequi; moribus uti ſeveritate & comita-

te

te mixtis, ut nec illa in triſtitiam abiret, neque hæc in petulantiam: nemo facile repulſam ferre, qui hominem noverat; nil enim erat petiturus niſi quod æquum eſſet; cætera ſciebat præfracte negaturum: omnia accurate agere, rigide exigere: nil ſtudiis hominum condonare; nil tempori dare; nil precibus concedere vel amicorum; nil remittere aut laxare, ut de regia via deflecteret; tenax recti, conſilii certus, propoſiti conſtans. Patriæ unice litare, illi ſe devovere, illi vitam impendere: ſibi Deum ſuum & cœlum reſervare. O dignum qui viveret in terris! o dignum qui receptus ſit in cœlum! Dum vixit, hoc ſymbolo uſus eſt ardentis lucernæ, *Aliis inſerviendo conſumor*: cum noviſſima meditaretur, illo altero, *Deo frui, ſummum bonum.* Fulſit illa lux Tulpii, ſed aliis, & illuſtravit ſuo jubare Rempublicam, Eccleſiam, Athenæum, Scholam, domos quoque privatas; ipſe Tulpius conſumptus eſt. Itane comparatum eſſe

cum rebus humanis, ut quæ ſunt utilia, nec eſſe perpetua poſſint, debeantque ipſa ſydera occidere, & clariſſima lumina extingui? Tulpius aliis inſerviit, ipſe conſumptus eſt. Sed Deo ſuo fruitur; hoc ſummum bonum. Deſinat jam dehinc in hortis ſuis deliciari ponens in voluptate ſummum bonum Epicurus: deſinat cum virtute ſua ſpatiantem in Stoa ſapientem ſe ac felicem prædicare Zeno: deſinat Peripatum omni genere bonorum implere magnus Ariſtoteles. Tulpius demum docuit, quid ſit ſummum bonum: Deo frui. Solus Deus animam explet; ſolus perficit; ſolus reddit beatam: Dei vita vivit anima; Dei Spiritu animatur; Dei lumine videt; Dei ſapientia ſapit: ſanctitate Dei pura eſt; gaudio Dei læta; opibus dives: conſtantia Dei immota eſt; gratia ſecura; pace tranquilla. Nihil timet, quæ Deum a ſe habet; nihil cupit, quæ omnia in Deo habet: quod ſperat, in Deo poſſidet; quod deſiderat, in Deo invenit:

venit: Dei æternitati inſerta præteritis non cruciatur; non angitur futuris; præſentibus non timet. Quæ Deo fruitur, ſtabile, perpetuum, felix ævum vivit ſemper beata. Ah! fruatur igitur per nos, imo perfruatur Deo ſuo, ipſi jam reddita beata Tulpii anima. Parcite dolori, parcite luctui, Gentiles: nolite quietos Viri manes inſanis lamentis ſollicitare, crudelique planctu laceſſere. Abiit, ſed abiit ſatur annis, ſatur honoribus: dignitatis ſupremum culmen attigit; extremum vitæ humanæ terminum etiam exceſſit: ſalvam reliquit Rempublicam, recuperantem priſtinum decus: ſalvum Principem, & factis heroicis ad Majorum gloriam pulchre graſſantem: ſalvos Conſules Sacrumque Senatum, tractantem civitatem pie, juſte, fortiter, prudenter, feliciter: ſalvam Urbem ſuam & florentem: ſalvam domum & honoratam, nec ſentientem orbitatem ſuam niſi ſolo Defuncti deſiderio. Nihil erat ultra in terris cur vivere vellet; tranſ-

 latus

latus eſt volens lubens in beatorum ſedes. Hanc illi, per ego Vos immortalem Deum, quo jam toto fruitur, perque Veſtrum in eum amorem obteſtor, nolite hanc illi quietem invidere, aut Veſtrum dolorem ejus anteponere felicitati. Quin properamus ad ipſum potius omnes, & ad ejuſdem boni fruitionem, per ſacra Viri veſtigia, perpetua virtute ſignata decurrentes: ego, ut alte impreſſa hominum memoriæ ne poſſint ulla ætate deleri, Tulpium & hanc ædem eadem conſecratione commendabo poſteritati:

DEVS. OPT. MAX. QVANDO. QVE TIBI. HODIE. FANVM. DABO DEDICABO. QVE. OLLIS. LEGIBVS OLLIS. QVE. SPATIIS. DABO DEDICABO. QVE. QVAS. HIC. HODIE PALAM. DIXERO. VT. AMBITVS HVIVS. CHORI. EST. HIC. VERBA FACIENT. SAPIENTIAE. DOCTORES

TE.

TE. SEMPER. AVCTOREM SAPIENTIAE. DIVINAE. ET HVMANAE. AGNOSCENT. TE CASTA. MENTE. COLENT. TE. PIA PRECE. VENERABVNTVR ARGVMENTVM. DELIGENT. SVO NOMINE. TVO. QVE. NVMINE DIGNVM. TV. ILLIS. ALIQVOD. SI PLACITVM. EST. SVFFICIES. EX HOSTIVM. CLADE. DE. CAETERO VIROS. VIRTVTE. PRAESTANTES LAVDABVNT. DEFVNCTOS PRAESTANTIAM. VIRTVTIS. VT EST. HVMANITATIS. MODVLVS EXIGENT. AD. EXEMPLVM TVLPIANAE. QVI. PROXIME ACCESSERINT. HOS. MAXIMIS PRAECONIIS. CELEBRABVNT NEPOTES. TANTVM. NOSTRI

SERI. NEPOTES. HOC. OFFICIVM PRAESTABVNT. VALKENERIO BEVNINGIO. BACKERO CVRATORIBVS. HIS. LEGIBVS. HIS SPACIIS. SICVTI. DIXI. HOC. TIBI FANVM. DEVS. OPT. MAX. DICO DEDICO. QVE. VTI. SIES. VOLENS PROPITIVS. CVRATORIBVS PROFESSORIBVS. STVDIOSAE IVVENTVTI. MIHI. DENI. QVE VNIVERSAE. REIPVBLICAE

DIXI



ACCEDUNT

PETRI FRANCII

Ejusdem argumenti

ELEGIÆ DUÆ.

TULPIANIS MANIBUS.

I.



Æc quoque lamentis lamenta prioribus adde,
Belgica; nec semel hunc sat lacrymasse virum est.
In fletus decet ire novos: diffunde dolorem,
Perpetuæque oculis effluat imber aquæ.
Occidit (heu!) columen Musarum, nobile gentis
Ille decus medicæ Tulpius, ille suæ.
Flet conjux, flent orbati sua damna minores,
Turbaque compositum plurima luget avum.
Et qui virtutis patriæ successor & hæres
Dividitur toto, patris ab ore, mari.
Obstitit extremis medium complexibus æquor,
Votaque spemque avidi diripuere noti.
Non licuit, Theodore, tibi, dare summa parenti
Oscula, non miserum dicere voce vale.
Ecce præit pro te funebre Tholingius agmen
Cognato cineri debita justa ferens.

Ille

Ille Machaoniis, ut ſanguine, proximus herbis,
Dum potuit, medica fata moratus ope eſt.
Sollicitaque manu fugientes clauſit ocellos,
Ne pietate minor, quam fuit arte, foret.
Nec minus & caſu turbatur Sixius iſto,
Turbatus nullis quamlibet ante malis.
Sixius Aonidum laus inclyta; ſive Batavo,
Seu dignum Latio pectine pangit opus.
Carminibus mentem reficit, fallitque dolorem,
Crudaque Pegaſea vulnera ſanat aqua.
Carminibus longum tumulo teſtatur amorem,
Signat & æternis marmora ſacra notis.
Quæque domus conſanguineo mœrore redundans
Manibus inferias officiumque facit.
Sed quanquam reſonant privatæ luctibus ædes,
Privati luctus non tamen ille laris.
Afflixit cunctos mala per communia cives,
Publicus & plorat publica damna dolor.
Amſtelius mœret populus, mœretque Senatus,
Nec locus in tota fletibus urbe vacat.
Mille gemunt ægri medicum: ſuſpirat Apollo:
Et viſa eſt lacrymas ipſa dediſſe Salus.
Præſide fraudatæ ſumunt lugubria Muſæ,
Et tanti vultus funeris inſtar habet.
Squaleſcit Phœbea domus taciturna, dolentque
Ceu tutelarem limina clauſa deum.
Adgemuere Patres, viduataque Conſule magno
Extinctum queritur curia mœſta ſenem.
Proſequitur pompam verſis ampliſſimus ordo
Faſcibus, & multo ſignat honore viam.
Et qui vix alio tantum Amſtela ſurgit alumno,
Inſignem ripa plangit utraque virum.
Quaque fluit, largo campos rigat undique fletu,
Et creſcit lacrymis, amnis ut amne, ſuis.

Ergo-

Ergone ſic moreris, Tulpi? Nunc forma ſenilis,
Atque honor ille tui plurimus oris, ubi eſt?
Nunc ubi, de pulchro quæ corpore pulchrior exit,
Et gemino virtus concomitata bono eſt?
Priſca Fides, veteriſque ævi, ſine crimine, mores,
Ingenituſque tibi cum Probitate Pudor,
Nudaque Simplicitas, fuco circumlita nullo,
Tecum uno in tumulo contumulata jacent.
Nec tamen obſcuras inglorius ibis ad umbras,
Aut tacitas laudes eſſe querere tuas.
Eripiet letho te mens tua. Cognitus olim
Ingenii vives per monumenta tui.
Te referent cives, linguiſque animiſque tuorum
Diceris tota publicus urbe parens.
Nos quoque, ſi quid id eſt, tua per præconia grati
Ibimus, & mutus non erit iſte dolor.
Triſtia congerimus collatum in marmora donum.
Quod dare cunque tibi poſſumus, omne damus.
Wolzogius ſacri ſurgit decus ordinis ingens,
Armat & in titulos ora diſerta tuos.
Funeris officium non deſertura ſupremum
En venit in partes & mea Muſa ſuas.
Quæ tibi ſi vivo quondam fortaſſe placebat,
Extremum moriens hanc quoque munus habe.



II.

Ex persona defuncti.


Parce meos lacrymis onerare, Batavia, manes,
Quisquis & ad tumulum flesque gemisque meum.
Flere decet juvenes, quos primo in flore juventæ
Occupat ante diem mortis acerba dies.
Terrarum, & vitæ saturo quod vivere possem
Defuit. Haud ultra vita, quod optet, habet.
Dum vixi, corpus validum, patiensque laborum,
Incolumique fuit pignore læta domus.
Pæonias colui non infeliciter artes,
Debet & ingenio se Medicina meo.
Nec vixi sine honore. Meo pede Curia trita est,
Parsque Senatorum Tulpius una fui.
Ipsa suos ultroque mihi quater Amstela fasces
Obtulit, & magnæ credidit urbis onus.
Neve occlusa foret patriis mea gloria muris,
Inclyta virtutis testis & Haga meæ est.
Hæc ingesta mihi. Sed, honore potentior omni,
Pax animi votis una petita meis.
Hæc fasces, hæc regna domi majora parabat.
Perpetuus placido sub lare Consul eram.
Non illic studiis, non ambitione trahebar,
Curarum oblitus omnium, & ipse mei.
Sic ego transegi, Natura quod addidit annis:
Sic mihi dulce fuit vivere, dulce mori.
O ter inoffenso felix qui tramite vitæ
Supremum clausi composuique diem!
Amisit jam plaga locum. Me jure beatum
Nominet, ac Crœso præferat ipse Solon.

Quod

Quod neque divitiæ Lydo, diſtincta neque auro
Purpura, mors animo præſtitit omne meo.
Mors hujus finis vitæ, melioris origo,
Plus mihi dat ſolio, Crœſe ſuperbe, tuo.
Non ego Cecropium ſuprema voce vocavi
Arſurus ſtructis in mea fata rogis.
Tranquillus placiduſque ſenilia lumina condens
Implevi vitæ tempora ſumma meæ.
Longa mihi vires ſenio tenuaverat ætas:
Obductum nullo corpore corpus erat.
Lenta cutim macies contraxerat, ora rigebant,
Et cinis in vivis, umbraque pæne fui.
Sponte mea lapſo mors eſt mihi muneris inſtar.
Vivere cum nequeas, munus, obire diem, eſt.
Fortunate dies, qui me tellure caduca
Tollis, & optatos das habitare locos.
Jamdudum mea ſidereas ſperaverat arces,
Gaudebatque Deo mens propiore frui.
More ſuo ſpernebat opes, ſpernebat honores,
Et quæ ſollicitum ſomnia vulgus amat;
Contemptumq; lubens mundum, cupiduſq; reliqui.
Hic etenim mundus quid, quod amemus, habet?
Mille per ærumnas adeo producitur ævum.
Nunc miſeros morbi, nunc fera bella premunt.
Nupera quid repetam Batavis data vulnera rebus,
Cum durum fuerat vivere, ſuave mori?
Ut patriam vidi, Faveas, Pater optime, dixi,
Et des alterutras pondus habere preces:
Hoſtibus innocuam belloque evertere gentem,
Si placet, & ſedit; mors mihi ſola placet.
Sin punire juvat potius, non fulmine totam
Perdere, ſim, ſalva gente, ſuperſtes ego.
O mea tam lentis procedat paſſibus ætas,
Ut videam Batavo reddita jura ſolo!

Tum,

Tum, Genitor, quocunq; vocas sequar ordine lætus.
Est mihi nam, patria sospite, vita mori.
Audit, & extremam donat succedere partem.
Hoc quoque fortunis addidit ille meis.
Quid votis, ego velle, Deus dare, majus habebat?
Munere nil isto plenius esse potest.
Lumina viderunt pacem mea, cumque Britannis
Tertia concilio fœdera facta meo.
Cœlesti nunc pace fruor: Mars exulat unde
Impius, & nullum mors habitura locum.
Explicitâ bello patriâ, patria altera cœlo est.
Illius dicor civis, ut hujus eram.
Hîc amor, hîc fixas posuit concordia sedes:
Hæc æterna quies templa, salusque colunt.
His ego commutem terrestria? cedite, terræ,
Et quicquid vani lubricus orbis habet.
Vivere, si detur, renuam: juvenescere nolim:
Et, quam confeci, rursus inire viam.
Quis citet admissos retro de carcere currus
Extrema spatium circüeunte rota?
Quis vento exponat dubiam, pelagoque carinam,
Quam suus in tutum fluctus, & aura tulit?
Jam metam tenuere meæ, palmamque, quadrigæ:
Quem petiit, portum jam mea puppis habet.
Et vixi, & felix obii. Defuncta labore
Otia agit cœlo mens mea, corpus humo.
Ergo flere virum, vitaque & morte beatum
Desinite. Invidia est, non amor, ille dolor.



EPITAPHIVM.

EGREGIVS PARITER PIETATE, VEL
ARTE, VEL ANNIS,

AMSTELIDVM CONSVL TVLPIVS
HIC TEGITVR:

NEC TEGITVR; NAM CLARA VIRI
MONVMENTA SVPERSVNT:

NEC, TOTIES VITAM QVI DEDIT;
OMNIS OBIT.

I. SIX.

INDEX CAPITUM.

LIBRI I.

INDEX CAPITUM

LIBRI II.

INDEX CAPITUM.

LIBRI III.

INDEX CAPITUM LIBRI IV.

N I.

NICOLAI TULPII OBSERVATIONUM MEDICARUM LIBRI PRIMI

CAPUT I.

Calvaria fracta.



Nter calvariæ vulnera, ficuti eminet; ita difficulter quoque curatur ἔσφλασις Hippocratis. Quæ fit, ubi capitis os, tam finditur, quam medium defidet. Cujus vulneris fragmentum, dum premit, pungitque membranas: vel impeditur cerebri motus: vel excitatur inflammatio; vel delitefcente fragmento, fub integro offe, comprimuntur adeo arcte, inæquales, difruptarum partium, oræ: ut intercludant omnem exitum, evacuationi aliás erupturæ: unde homini exitium.

Gravis, decidentis feneftræ, lapfus depreffit, fregitque, filio Petri Witfii, finiftra bregmatis offa, non procul à futurâ Lambdoide. At fragmenta, quæ inde diffilierant, defidebant non modo, fub limbo circumpofiti offis: fed infigebantur præterea, tam firmiter, pertufis, cerebri, membranis: ut nihil omnino humoris, potuerit ex vulnere effluere: necdum eximi rite

fragmenta : quin lacerarentur turpiter membranæ; utique cerebrum, illis ſubjectum.

Ex cujus dilaceratâ medullâ, ademit tantum cottidie chirurgus: quantum recepiſſet, dimidiatum nucis juglandis putamen. At die tertio auferebantur inde, duo integra cochlearia: ſine ullâ tamen (quod dictu mirum) vel mentis offensâ; vel alio aliquo ſymptomate. Sed die quinto intervenere febricula, levis ſopor, & reſolutio lateris dextri, (quamvis plaga infeſtaret ſiniſtrum) verùm ſexto periit vox; & poſt illam ipſa vita.

Sed cur flacceſcit latus oppoſitum? fit id bifariam: vel circa plagæ initium, vel aliquot diebus poſt. Siquidem contingit protinus ab inflicto vulnere, propelluntur humores, à violentæ concuſſionis impetu, ad loca quàm remotiſſima: ſive ad ventriculos cerebri; vel meatum ſpinali medullæ inſculptum. Quò delata penetrans hæc vis, adigit (ut cum Caſſio loquar) fluidam hanc materiam; potiùs ad partem oppoſitam, quàm plagæ vicinam.

Quò tamen, ſiquidem tenderet humor, nervos reſoluturus, retrocederet neceſſariò, ad motus ſui principium; & ad terminum, à quo primùm fuerat depulſus. Cùm contrà motus violentus ſequatur motorem: tendatque potiùs ulteriùs, quàm ſubſiſtat in propinquo. Sicuti luce clariùs, apparet in clandeſtinâ, oſſis oppoſiti, fiſſurâ.

At

At si nervi resolvantur, aliquamdiu post inflictum vulnus: verisimile est, ab illatâ vi, humores quidem fuisse agitatos, sed non exiisse, ex parte affectâ. Verum illâ paullatim incalescente, sive à putredine, sive à febre, credibile est eosdem illos humores denuo moveri; & ab exsuscitato hoc calore, tandem quoque propelli, ad partem oppositam: ceu locum maximè remotum, à motus principio: & præcipuè à latere dolente, unde hostem suum, satagit depellere natura.

CAPUT II.

Occulta capitis rima.

QUamvis ferramenta, plerumque adhibeantur calvariæ, vel fractæ, vel fissæ; conveniunt nihilominùs, nonnunquam etiam integræ: præsertim si metus sit, disruptarum venarum. Educitur quippe hac ratione, non tantùm sanguis effusus; sed impediuntur simul, inflammatio, putredo, delirium, febris, aliaque exitialia symptomata. Sed cur scopum hunc non semper attingat ars, demonstratum ibunt, sequentia exempla.

Jacobus Bexius, ictus à sclopeto, in occipite, concidit protinùs pronus in terram: foris vix læsus, sed intus tam vehementer offensus: ut inciderit illicò, in febrem, ac graves convulsiones. Quibus permoti, perforavimus confestim

calvariam, licet extrinſecùs nullas egiſſet rimas. Quo auxilio, elicuimus quidem ſanguinem, ſupra cerebri membranas effuſum: attamen neque feſtina hæc acceleratio, neque remedia ſatis maturè adhibita, tantum potuere, in præcipiti hoc periculo: quin nihilominus ſexto die perierit æger.

In cujus capite, terebram dum circumageret chirurgus, vidimus, per integrum os, erupiſſe innumeras ſanguinis guttulas: cooperientes, inſtar roris, univerſam calvariam. Quibus ſpongiâ aliquoties deterſis, repullulare continuò & alias: monſtraturas quaſi digito, nihil naturæ eſſe invium: ſed omnia pervia. Neque oſſa ullibi tam ſolida; quin per ea liberè permeet, cùm ſanguis, tum pus.

At diſſecto, poſt obitum, cadavere, licet apparuerit calvaria foris illæſa: oſtendit tamen intus varias fiſſuras: docens ſuo exemplo, quid per infortunium ſuum, velit vir incomparabilis Hippocrates, libro de vulneribus capitis. Verè enim infelices ſunt illi, ad quorum abditos morbos, nec oculi, nec mentis penetrat acies.

Sed præter occultas haſce rimas, videre fuit, prope plagæ locum, extimam cerebri membranam, non minùs lividam, quàm flaccidam: & non uno loco, atro cruore fœdè obductam. At cerebellum erat planè ſyderatum: ceu vero ſphacelo corruptum. Venæ utique paſſim laceræ, & circa baſin cerebri, ac rete mirabile,
tan-

tantum concreti ſanguinis: ut nullus miraretur, occubuiſſe hominem, tot calamitatibus circumventum.

Verè itaque, verus naturæ genius, ſect. III. aph. XI. coac. prænot. Cerebro ſyderato, alii quidem tertio, alii verò ſeptimo moriuntur die: illos autem ſi effugerint, ſervantur. At quibus ex his diſſectis, invenitur os diſſociatum, illi pereunt. Quâ circumloquutione deſignatur, proculdubio, principium corruptionis. Licet ſphaceli vox, latiùs ſeſe extendat. Quî enim ſervaretur aliàs aliquis, poſt diem ſeptimum? etenim, quod ſemel integrè emortuum, id revivifcit nunquam. Quippe à privatione, habitus denuò comparari nequit.

Sed quid vult ſibi os diſſociatum? διεστηκὸς τὸ ὀστέον? annon corruptionis labem, vitiatæ calvariæ communicatam? cujus indicium fecit, in hoc ægro, diſſoluta illa oſſis laxitas: à quâ promanarunt, guttæ ſanguineæ; quas diximus terebranti chirurgo, præter omnem conſuetudinem, fuiſſe oblatas. Non ſecùs ac gangrænam præcedit, aquoſa cutis veſica; & inſequentem ſphacelum, ipſa gangræna.

Quaſi diceret vir inclutus. Siquidem a cerebri vitio, eatenùs immutetur os, ipſi proximé impoſitum: ut diſſolutâ compage, diſcedat evidenter, à naturali ſuâ ſoliditate, (quod in hac calvariâ conſpicuè factum) actum erit de vitâ: & neceſſe, hominem mo-

ri; à tam desperatâ, corrupti cerebri, conditione.

CAPUT VII.

Fractura ossis cuneiformis.

IN quod ipsum infortunium, modò non in majus, vidimus quoque incidisse; virum septuagenarium, sed ebrium. Qui delapsus ex altiore loco, contraxit in calvariâ, tam amplum vulnus: ut commodè, per ejus hiatum, educeretur, quicquid inhæreret, extimæ cerebri membranæ. Invadentibus ipsum nihilominùs illicò, vertigine, vomitu, ac stupore. Sive à residuâ crapulâ, sive à concusso cerebro. Sed postridie rediit ad se; expers febris, & immunis omnium aliorum symptomatum. Verùm die quarto, exscreatis prius sputis purulentis, periit, præter omnem spem, ab inopinatâ apoplexiâ.

Cujus ergò interiora capitis penitiùs perscrutantibus, obtulit se primùm, frequens humor; replens ventriculos cerebri. Sed mox longissima rima; excurrens continuatâ serie, per frontem, oculique foramen, usque ad sellam equinam; prope ossis cuneiformis medium. Quò loci animadvertimus (quod jure, in omnium oculis fuit rarissimum) ingens ossis cuneiformis fragmentum, ita sejugatum à reliquo osse; ut manifestè elevaretur supra qualcunque partes circumpositas.

In

In quarum remotiori receſſu, cum delite-ſceret plurimum ſanguinis coagulati; veriſimile eſt, ex ejus putredine, prodiiſſe, poſtremo vitæ die, quod exſcreavit, pus. Sed morbus attonitus, qui ipſum occidit, traxit originem; partim ex obſtructis proceſſibus ſpinalis medullæ, (qui ſunt verum nervorum principium) partim verò, ex anguſtiâ retis mirabilis: quod conſtat, ex intricato venarum jugularium, arteriarum carotidum, ac cervicalium concurſu. Quibus nobiliſſimis partibus impeditis; privatur homo, non modò ſenſu, ac motu, ſed ipsâ vitâ: juxta illud Cornelii Celſi Lib. v. cap. XXVI. Servari non poteſt, cui baſis cere-" bri percuſſa eſt.

CAPUT IV.

Fractura capitis ſanata.

PRioribus autem ægris, ut nequicquam perforatum fuit capitis os: eò quod ſanguis deliteſceret, non tantum ſub membranis; ſed infra cerebri baſin: ubi inevitabilis mortis cauſſa eſt. Sic contrà, profuit aliis ſummopere terebra: præſertim hærente cruore, ex venis effuſo; non tam ſub membranis, quàm in obviâ earundem parte.

Juveni, habitanti prope Tyam fluvium, frangebatur lapide, tam inæqualiter calvaria: ut fragmentum hinc urgeret membranas; illinc

verò adhæreret etiamnum integro offi. Quæ difpar fracturæ ratio, in cauſsâ fuit; quo minùs, vel feſtinanter elevaretur fragmentum, cerebro grave: vel prohiberetur convenienter, ne concretus ſanguis produceret, aut febres, aut deliria.

Quibus propterea ipſum invadentibus, ivimus protinùs ad modiolum: diſſoluturi quàm primùm, tenax illud vinculum; quod fragmentum hoc adligabat offi circumpoſito. Quo cautè divulſo, conquievere illicò febres, ac deliria; & reſtitutâ cerebro movendi libertate, evanuere pericula: quæ nobiliſſimo viſceri intentaverat, urgens depreſſio.

CAPUT V.

Salutaris modioli uſus.

SI quæ itaque neceſſitas, exegerit modiolum; utendum eo maturè: ne à morâ, proveniant, putredo, tetri vapores, pus graveolens, inflammatio, febris, delirium, contractio nervorum, & tandem ipſa mors.

Centurio marinus opiparè cœnatus, & vino largiter obrutus, ſatagens ſub noctem officioſius, quàm id temporis exigebatur, convivas ſuos dimittere; alliſit graviter caput ſilicibus; & fiſsâ longiſſimè calvariâ, contraxit in eâ rimam ſatis productam: ſed anguſtiorem, quàm ut per illam, vel debitè ſe exoneraret cerebrum;

vel

vel convenienter admoverentur necessaria auxilia.

Quibus aditu intercluso, opus fuit, modiolum fissuræ imponere: & exciso osse, haud cunctanter elicere; quidquid vel cerebro, vel membranis foret oneri. Quem scopum etiam feliciter tetigimus. Vix enim medicinæ locum fecerat terebra: quin vidimus protinus, per ossis vacuum, expelli plurimum sanguinis: quo parciùs subinde prodeunte, depressimus aliquoties cerebri membranas specillo: vel compressis naribus, sategimus spiritum sursum adigere: quò expeditiùs onus suum, expelleret oppressum cerebrum.

Excrementum autem hoc, quod natura hìc expulit, per foramen à modiolo relictum: erat planè albicans, ac spumeum. Quam speciem, solent chirurgi ponere, inter optimas, adventantis sanitatis, notas. Eo enim fluxu cessante, increscit protinus caro; vel ab ipso osse, vel à cerebri membranâ. Repleturque paullatim, calvariæ vacuum; à crustâ rubicundâ, transiturâ tandem in callum; ac subiturâ genuinam, ossis ablati, naturam. Quod sagax industriæ naturæ tentamentum, expressurus Poëta, cecinit non inconcinnè:

- - - - - - rerumque novatrix,
Ex aliis, alias reparat natura figuras,

CAPUT VI.

Morbus attonitus.

JUvenis temulentus, ictus vehementer, in pectore, concidit repente attonitus; in terram, ceu fulmine consternatus: cum spiritu gravi, vomitu frequenti, voce suppressâ, & spumâ tam confertim ex ore emanante, ut intra paucas horas amitteret vitæ usuram.

Cujus inopinati eventus caussa fuit, partim evidens calvariæ rima, à casu exorta: partim verò frequens sanguis, effusus ubertim, cùm supra, tum infra cerebri membranas. Sed pulmo habebat plurimas, lividas maculas; adscribendas fortè, vel repentinæ suffocationi, vel Nicotianæ crebrius adsumptæ: quâ plantâ dicebatur hic juvenis, plus nimio, fuisse delectatus.

Ad suffocationem quidem maculas hasce referre, suadebat, cùm spumæ, tum livoris natura. Spuma quippe (juxta elegantissimum Actuarium) est spiritus, & humorum mixtio. Fitque in morbo attonito; vel ex destillante capitis pituitâ, per aërem rarefactâ: vel ex spirituoso, oppressi pulmonis, vapore. Priorem spumam planè innoxiam declarat cottidianus, spumosæ epilepsiæ, reditus. Sed alterum lethalem, repentina apoplecticorum mors: orta, procul dubio, ex adempto spiritu;

ritu; ſine quo, ne momentum quidem ſubſiſtit homo.

Cujus ſpumæ periculum propterea propoſiturus Cornelius Celſus, ſubjungit ſatis ſcitè. „ Neque is ad vitam redit, qui ex ſuſpendio, ſpumante ore, detractus eſt. „ Quippe hanc ſpumam non producit pulmo, niſi ſummè laborans: ſive à reſolutione humidi, ſibi, cordique inſiti: ſive à ſpiritibus, ob retentos vapores; impeditamque reſpirationem, adeò efferveſcentibus: ut in extremo diſſolutionis metu ſit, calidum innatum. Quam luctam quum deſignet hæc ſpuma; quid mirum eam utique præſagire ineluctabilem mortem? Inducitur enim poſt illam partibus obſeſſis, loco vividi coloris, obſcurus, ac luridus livor. Non ſecùs ac à Solis occaſu tenebræ; & à flammæ ſuffocatione carbonis nigredo. Livor enim ſequitur vel extinctionem; vel interceptionem ſpiritus, ac caloris vitalis. Ac proinde non temerè Hippocrates, in coacis, aph. LXXII.

„ Τὰ πελιδνὰ γινόμενα, ἐν πυρετῷ, σύντομον θάνατον σημαίνει. „

„ Livida evenientia, in febre, brevem mortem ſignificant.

Potuit itaque, hæc repentina ſuffocatio, has quidem produxiſſe maculas: ſed rarius, cum occurrant in eorum pulmonibus, quos occidit morbus attonitus: & contra frequentius,

tius, in illis, quibus Nicotiana fuit in deliciis. Non inconſultum fortaſſis erit, excutere hìc naturam illius fumi: qui aëri permixtus, & ore attractus, tam benè facit ad multorum palatum: ut eum præferant omnibus epulis: modò non & ipſi ſanitati: quâ tamen humano generi nihil utilius.

Extra omnem itaque controverſiæ aleam eſt, Nicotianam potui datam, tantum adverſari ventriculo, ac inteſtinis: quantum prodeſt humido, ac frigido cerebro. Sed dubitatur, utrum fumus ipſius offendat pulmones? calida quippe eſt planta; imò acris, ac vellicans: ſive naturâ, ſive arte. Ex pulvere videlicet euphorbii, pyrethri, piperis, aliorumve acrium aromatum, lucri cauſsâ, à fraudulentis, ac infidis mercatoribus, clanculùm, contortis ipſius foliis, inſperſo. Quorum omnium vapore, veriſimile eſt, non minùs offendi pulmones, quàm à raphani agreſtis, ac piperis triturà, cerebrum ſternutans.

Immodicus namque calor, ut exhaurit humidum radicale; ſic obſcurat nebuloſus ipſius fumus, non parùm illuſtrem, noſtræ vitæ ſpiritum: imo ſuffocat tam efficaciter calidum innatum: ut inſtar tabidorum (qui ex ſententiâ Galeni, à ſiccitate conſumuntur) planè extenuemur, cum tuſſi perenni, & infatigabili ſpiritus difficultate. Quæ duo arguunt inextricabile, oppreſſi pulmonis, vitium.

A quo

A quo equidem plurimos, qui dies, ac noctes cum hac Helenâ transegerant, vidi pessumdatos. Moderata certè uti nullibi, sic neque hìc culpantur. Sed modum in hoc fumo si excesseris, defatigaberis à tussi, vitiabitur pulmo, emarcescet animus, & tandem consumetur corpus universum. Vel lentè, si fueris integer, ac valens: vel celeriter, si quid vitii alibi sit in visceribus. Sicuti videre fuit in hoc ægro. Quem eò, procul dubio, citiùs strangulavit morbus attonitus; quò minus potuerit reluctari; & spiritum ab interitu vendicare, exsuccus, ac maculosus pulmo.

CAPUT VII.

Morbus attonitus, à sanguine.

VElut non quilibet morbus attonitus, vel à pituitâ, aut atrâ bile; sed interdum quoque, à sanguine: sic neque occidit passim apoplexia, fortis, ac stertorosa. Quantum enim opis olim animadvertit Hippocrates, ex febre (juxta Galenum) pituitosæ apoplexiæ superveniente: tantum observat etiamnùm insequens ætas, in sanguineâ, cum stertore conjunctâ, à sanguine liberaliter misso. Qui sa-„
ni, inquit, capitis dolore, repente corri-„
piuntur; & statim muti fiunt, ac stertunt,„
in septem diebus moriuntur; nisi febris pre-„
henderit. aph. 11. lib. VI.

Juve-

Juvenem pleni habitus, præcipitavit redundans capitis sanguis, in subitam, ac gravem apoplexiam, cum tremore, aphoniâ, ac stertore; tribus periculosissimis, hujus morbi, comitibus. Quorum vehementia maturè, quo infringeretur; emittebatur illicò sanguis, ex brachio dextro, sed eo lentiùs fluente, quàm ut satisfaceret morbi magnitudini: exsolutum fuit utique, eodem ferro, & brachium sinistrum. Quo bipartito fluxu aliquamdiu continuante, remisit evidenter stertor; traxit commodiùs spiritum; & recuperavit brevi pristinam sanitatem.

Quid ergo? inquies, suadesne hoc strictè imitari? imo in simili necessitate intrepidè. Verùm multa in præcipiti periculo, rectè fiunt, alias tamen omittenda. Quippe vehementi, ac celeri malo, non succurrit, nisi remedium, vel æquè vehemens, vel perinde celere. At scrupulum injiciet fortè Cornelius Celsus, asserens lib. III. capite XXVII. Si omnia membra, resoluta sint, sanguinis detractionem, vel liberare: vel occidere. Sed inculcat non minùs seriò idem auctor: satiùs esse anceps remedium experiri, quàm nullum. Quamvis anceps non sit, quod festinanter imminutum it sanguinem, hominem aliàs obruiturum.

Cui ancipiti aleæ, ne iterùm subjiceretur hic juvenis; monitus fuit, quolibet Vere, sanguinem sibi detrahere: & protinùs occurrere venien-

venienti hoſti. Sed monitis hiſce floccifactis, dedit poſt biennium, irreparabiles, ſuæ negligentiæ, pœnas. Sicuti namque diſruptis aggeribus, ſubmerguntur prata: ſic obruitur quoque facilè cerebrum, à ſanguine; præſertim ſi, vel effringatur, vel enervetur, membraneum illud oſtiolum: quod, ad coërcendum ſanguinis impetum, internis juguli venis, incomprehenſibili artificio à providâ naturâ inditum. Habent quidem & aliæ venæ, ſimilia repagula: ſed ut in illis impeditur ſanguinis deſcenſus: ita hìc contrà, ejuſdem adſcenſus. Obruerentur aliâs facillimè, à concitati ſanguinis, copiâ, repleta, athletarum, corpora.

CAPUT VIII.

Morbus comitialis ſponte ſanatus.

PLurima non minùs graviter, quàm verè dixit, uberrimus auctor, Hippocrates: ſed nihil majeſtate ipſius dignius, quàm ingenuum illud. Naturæ morbis medentur. Cujus effati dignitatem, ut paſſim omnes; ſic oſtendit præcipuè morbus comitialis: quem eradicatum ubi vult natura, utitur modò, variantis ætatis, mutatione; modò verò ulceribus, in capite excitatis; vel excogitans aliud aliquod ſolers inventum, diſſolvit induſtriè nodum, arti medicæ planè indiſſolubilem.

Conſulis Amſtelredamenſis filiæ exagitatæ

tæ vehementer, à morbo comitiali; & parum, aut nihil auxilii, ab arte, impetranti, ſuppetias tandem tulit officioſa natura: expellens potenter, acrem, periodicæ diſtentionis, cauſſam, à cerebro in ſubjectos, faucium, muſculos. Quibus impeditis, ceſſit quidem, ex toto, morbus comitialis: ſed interim, intumuit haud parùm guttur; periit elocutio; neque deglutiit, niſi admodum graviter.

Sed præcipua moleſtia fuit à ſuppreſſâ voce: quâ caruit, ad ſextum uſque menſem: licèt interim non negligerentur, vel convenientia cathartica; vel requiſita roborantia: inter quæ facilè primas tenuit, oleum, arte chymicâ, è ſuccino elicitum. Quod ſanè plurimùm profuit, recuperandæ voci. Quam iterùm adepta, fecit primum, receptæ locutionis, initium (quod etiam ab aliis, aliàs obſervatum) vocalibus A, & O. Quibus aliquoties ruditer prolatis, profecit brevi tantoperè; ut ante diem quartum decimum, loqueretur, non minus articulatè: ac ſi nunquam obmutuiſſet.

Quod ipſum, benevolæ naturæ, auxilium, etiam in aliis, ſubinde licuit videre: ſed præcipuè in duobus infantibus, quorum epilepſiam ſanavit, per manantia capitis ulcera. Quibus improvidè aliquandò ſuppreſſis, retinebantur non tantum tetri, maligni morbi, vapores: ſed revertebatur illicò, terribilis hæc nervorum contractio. Neque deſinebat iterùm, niſi remotâ

cica-

cicatrice, referaretur hiatus, exhalandis fuliginibus, à naturâ destinatus.

En præeuntem naturam, ô Chirurge; monstrat ipsa, quasi digito, salutarem, inustorum ulcerum, usum: ex famâ tuâ erit, imò ex usu ægrorum, si hanc sequaris ducem. Prosunt ulcera arthritidi; expellunt lippitudinem; sed neminem efficaciùs juvant, quàm, morbo comitiali, obsessos.

A quo utique adsertum vidi aurifabrum, per squamosas quasdam crustas, fœdum in modum pedis cutem exasperantes, quibus scalpelli apice dextere ablatis, destillare protinus per exilia cutis ulcuscula, frequens, ac acer humor, qui per anfractuosas ambages ad pedes delatus, eo procul dubio descendit sive à capite, genuino hujus mali fonte; sive ab hepate, aliove aliquo inaccesso fomite, secreto alicubi latitante.

CAPUT IX.

Morbus comitialis à splene.

EX acri, quarumlibet partium, vapore, cerebrum vellicante, morbum comitialem excitari, novum non est. Sed parti alicui, tam exquisitum inesse sensum: ut attacta duntaxat, levi, digitorum, apice, protinùs contrahat nervos; id certè summè rarum est. Et præter unum Fernelium (qui ex simili occipitis attactu, vertiginem vidit obortam) vix cuiquam fortassis observatum.

 Ju-

Juvenis Patritius, annorum circiter quindecim, doluit ex pube, tam intolerabiliter; extra omnem ſuſpicionem calculi: ut ibidem loci, neque litum olei amygdalini; neque linteolum eodem madens, foret ferendo. Sed converſo, poſt menſem, omni doloris impetu, à pube, verſus latus ſiniſtrum, unde fortaſſis deſcenderat, deſiit, ex toto, illius partis cruciatus: & illicò malè habuit lien: & ex ipſius conſortio, cerebrum. Non ſecùs ac aliis, ex pede vulva; ex liene ventriculus; & à ventriculo caput; inſtar cucurbitæ, univerſo corpori, impoſitum.

Noxiam autem materiam, à liene, per venas iliacas, ad ilia, ac pubem deſcendere, vidit olim vir oculatiſſimus Hippocrates: ſed innuit „ id, adeo tectè, ut à paucis obſervetur. Qui ni- „ gra (inquit) vomunt, ad pubem dolent. Lib. Præd. Expulsâ videlicet illuc, acri ſanguinis fæce. Unde certè eſt, quod melancholicis fiant, maximi morbi, ab ilibus. De quorum moleſtâ dilaceratione, non minùs quoque conqueruntur, ſcorbuto qui obnoxii: quibus propterea videntur ilia rumpi: cùm ob continuam humoris eroſionem; tum propter urgentem, dilaceratarum membranarum, diſtentionem.

Inquirendum itaque curioſe Medicis, in naturam humoris, à natura expulſi: & cavendum obnixè, ne facilè regurgitet, à loco ignobili, in partem principem. Satiùs quippe eſt, peſtilentem ejuſcemodi frugem in ſe-

mine comprimere; quàm adultam demetere messem.

Sed ad rem. Lien à turgido hoc, atræ bilis, fermento, jam tumidus, diffudit, ilicò, ex se, vapores cerebro tam inimicos: ut Juvenis protinùs concideret, in vehementissimos, morbi comitialis, insultus: excitatos non tantùm à caussâ internâ; sed subinde quoque, ab externâ.

Nam pressâ, vel solo digito, regione lienis, contrahebantur ilicò, omnes nervi: & sequebatur confestim, miserabilis, universi corporis, distentio: lædens, iteratis suis circuitibus, usque eò, mentem jam aliquoties labefactatam: & cumprimis, vim ipsius imaginatricem: ut crederet, se nescio, quem regem: distribueretque, non minùs largiter, qualiacunque munera; imò integras regiones; ac si reverá, rerum potitus fuisset.

Insidente ipsi, hac, conceptæ majestatis, opinione, adeò profundè, ut summè excandesceret; corriperetur que gravissimâ epilepsiâ: si quis majestatis oblitus, ipsum compellasset nomine usitato. Ceu inferius dignitate suâ ratus, alio, quàm regio insigniri titulo Impositis interim familiæ suæ (quæ erat amplissima) promiscuis, quorumcunque animalium, nominibus. Quæ semel data (quod melancholicis proprium) tam firmiter memoriæ mandavit: ut nunquam deinceps, inde exciderint: licet vel longissimè quis peregrè absuisset.

Quod si verò quis, loco ursi, felis, canis, draconis, aut leopardi, desideraret proprium sibi restitui nomen; eum reddebat illicò, voti compotem: modò donaretur aliquo munere. Quâ facilitate, ab amicis, observatâ, redemere, plerique omnes, ignominiosa illa nomina. Eaque donis ipsorum imposita, retinuit invicem, tam strictè: ut etiam post plures menses, recordaretur nominatim; quod quisque, vitandæ ignominiæ ergo, obtulisset munus.

Inusitato autem huic morbo, plurima quidem nobiscum opposuit, felicissimus Medicus Joannes Fontanus: sed nihil præponderavit, vel vino chalybeato; vel veratro nigro. Quorum primum, posteris quò commendaret Cornelius Celsus, scribit expressè, animadversum esse, ea animalia, quæ apud fabros ferrarios educuntur, exiguos habere lienes. Constabat autem hoc vinum, ex sequentibus.

℞. Radic. althææ, asparagi, singularum uncias duas; decoquantur, ex aceto vini, & infunde colaturæ, limaturæ chalybis, libram unam, cum dimidiâ, deinde insolentur, vel macerentur, per biduum, in cineribus calidis, addendo, chalybi exsiccato, & tenuiter trito, vini Rhenani libras quatuor: aquæ melissæ libras duas; ligni guajaci rasi unciam mediam, corticum radicum capparum, tamarisci, ceterach, serpilli, singulorum drachmam, croci Britannici, scrupulum; concutiantur cottidiè fortiter, in lagenâ

genâ vitreâ; & ex colaturâ fiat, vinum chalybeatum.

Poſt cujus uſum, inurebatur cruri ſiniſtro ulcus, ſed vix deciderat ipſius cruſta; quin efferveſceret uſque eò, turgida bilis: ut nihil differret à furibundo. Cantillans noctu, taciturnus interdiu, cum vultu ſemper truci, mente perturbatâ, fame inſatiabili, & obſtructione gulæ, tam pertinaci, ut vix ullis remediis reſeraretur iterum: niſi fortè, per clyſteres crebrius infuſos: utique veratrum nigrum, dejectionis cauſsâ, aliquoties, potui datum.

℞. Corticum radicum capparum, tamariſci, fœniculi, ſingulorum, unciam. Herbarum fumariæ, meliſſæ, boraginis, ſingularum manipulum. Seminum melonum, limonum, aniſi, ſingulorum drachmas duas, radicum veratri nigri, drachmas ſex, uvarum paſſarum corinthiacarum uncias quatuor. Decoque ex aqua hordei ad libras duas, & diſſolve in colaturâ, Syrupi roſacei cum ſennâ, uncias quatuor, miſce, fiat potio.

Cujus medicamenti beneficio, licet uberiùs deponeretur atra bilis; peperit tamen ingratus ipſius ſapor, tantum faſtidii: ut neceſſe fuerit, eo derelicto, præparare inſequens catharticum: quod etiam ſummoperè, ipſi in rem fuit.

℞. Foliorum ſennæ mundatorum à ſtipitibus drachmas duas, radicum veratri nigri, ſcrupulos duos, ſeminum limonum, & fœniculi, ſingulorum ſcrupulum, infunde per noctem, in

decocto fumariæ viridis, adde deinde colaturæ, confectionis hamech drachmas duas, Syrupi rosacei solutivi, unciam cum dimidiâ, fiat potiuncula.

Quâ aliquoties propinatâ, ejecit continenter tantum atræ bilis: ut tandem ad se redierit: debellato contumacissimo hoste, & expulsâ, gravissimæ epilepsiæ, materiâ, attamen non sine aliquâ mentis labe. Quæ tamen tanti non fuit; quin potuerit deinceps, & literis ritè operam dare: & alia peragere non secùs, atque sanissimus.

CAPUT X.

Morbus comitialis, à vulvâ,

MUlierem prægnantem conjecit malignus vulvæ vapor, in tam acerbas nervorum contractiones: ut pepererit. Ignara tamen partum illum, à se, editum: derogans ad hæc fidem, amicis, id uno ore adseverantibus. Ea quippe fuit hujus distentionis vehementia: ut extenderit se, ultra horas novem. Quibus exactis, corripuêre ipsam febris, ac sopor adeò torpidus, à sanguine impetuosiùs sursum rapto: ut tali vena aliquoties fuerit ferienda; antequam iterùm descenderent ipsi menstrua: & cessaret, ex toto, febris, vehementer ipsam exagitans.

In quem inscium partum, ab eodem vulvæ consortio, incidit utique, haud diu post, Affinis nostra, Maria Corvina. Sed privabatur hæc præ-

præterea viſu. Licèt foris nec hebetudinem aciei, nec aliud aliquod vitium, oſtenderet externa oculi tunica. Quam cæcitatis ſpeciem ἀμαύρωσιν veteres, & guttam ſerenam appellant recentiorum nonnulli.

Quod vitium ut inſanabile habetur, ſiquidem inſidet ipſi cerebro: ſic curatur etiam difficillimè, quantumvis fiat, ex aliarum partium conſenſu. Ac proinde nequiit etiam in hac ægrâ tolli, niſi per remedia valentiſſima. In quibus excelluere ampla veſicatoria, internis femoribus admota. Quorum ope retrahebatur, tam potenter, ſanguis, ſurſum vergens: ut recuperatâ, gratiſſimi luminis, uſurâ, evaſerit feliciter pernicioſiſſimam illam cæcitatem: quam plerique Medicorum judicaverant habere certam deſperationem.

Sed circumſpecti Medici eſt, præſagire quidem pericula: ſed interim non omittere, quæ ars requirit. Et cur quæſo, deſperaret quis fieri poſſe, quæ hìc facta ſunt? incipe animosè, perge prudenter, & annuet fortè cœptis tuis Deus.

CAPUT XI.

Epilepſia, ſexies cottidie, accedens.

QUod in mari eſt æſtus, ac receſſus: id in morbis vocatur reciprocus circuitus. Quem quò comprehendis minùs: eò admiraris magis. Latet quippe plerumque ipſius cauſſa. Et abſconditi ordinis ratio; defatigat etiam acu-

tiſſima ingenia. Præſertim quorundam morborum; ea cùm ſit conditio: ut cottidie, non ſemel, atque iterùm, ſed interdum quinquies, vel ſexies accedant, recedantque. Idque non aliquot menſes; ſed integros ſubinde annos, ſervante quolibet inſultu, exactum, reciprocantis periodi, momentum. Uti id nonnunquam videre eſt, vel in interpolato capitis dolore: vel reciproco artuum tremore, ſed nullibi evidentiùs, quàm in periodicâ illâ epilepſia, quam hìc inſeram.

Matronæ locupleti, intervenere, ex ventre diutiùs adſtricto, non modò horror, ac febris; verum etiam frequens animi deliquium: accedens primùm quidem promiſcuè, & indiſtinctè; ſed mox ordinatè, cùm in acceſſione, tùm in receſſione. Quod tamen reciprocans animi deliquium deſtitit ex toto, poſt duos menſes. Sed eâ cum lege, ut illi, è veſtigio ſucceſſerit admirabilis quædam epilepſia: inſurgens cottidiè, modò ternis, modò quinis, modò ſenis circuitibus; quorum impetus fuit ſubinde adeò efferus: ut opus non ſemel fuerit, ipſam detineri à quatuor mulieribus.

Suppreſsâ interim (quâlibet acceſſione) voce; occæcatis oculis; obſurdeſcentibus auribus, & ceſſante tamdiu, ſenſuum internorum, functione: donec poſt horam quartam (is enim terminus cuilibet periodo fuit præfixus) ad ſe reverteretur: mentis iterùm compos: & protinus

tinus apta respondere, ad quæcunque interrogata. Quæ animi præsentia mansit illi semper immota: usque dum recurreret, iterùm novus insultus: aboliturus denuò & interiores, & exteriores sensus.

Quem tamen reciprocum ordinem immutarunt subinde, vel aëris inclementia; vel animi adfectus, vel inopinatum aliquod infortunium. Et prout vel leniretur, vel exacerbaretur hic morbus; pro eo etiam, vel tolerabiliùs, vel deteriùs sese habuere utique ipsius accessiones: modò leves, modò asperi; nunc plures, mox pauciores.

Quin imò, deficiente fomite, defecit nonnunquam integer aliquis insultus. Sed commoto iterum corpore, rediit utique facillimè: verum cum novo invadendi, ac remittendi ordine. Quâ recidivâ frequentiùs ipsi interveniente, vix ausa fuit propterea, mutare unquam cubile suum, nisi fortè sub horam, venientis accessionis. Ne si secùs faceret, præcipitaretur denuò ex motu illo, in novum circuitum. Qui plerumque excurrebat, ultra quartum, quintumve mensem, antequam ipsam iterum desereret.

Unde factum, ut circa summum morbi incrementum, epilepsia hæc habuerit, senos circuitus: statis horis, cottidie, & accedentes, & recedentes. Quarum periodorum frequentia, exagitavit usque eò, defatigatum hocce corpusculum;

culum: ut tandem inciderit, in accessionem longissimam: continuantem cottidiè, sine ullâ intermissione, ullove, vel cibi, vel potus usu, ad horam circiter vigesimam.

Cui oneri impar, credebat ipsa, jam ad ultima ventum. Sed re planè desperatâ; apparuit nec opinanti, quasi, ex machinâ, Deus. Et sedatâ, post diem quintum, intolerabili hac tempestate, sustulit, ex toto, productum illum paroxysmum, relictis duntaxat in locum ipsius, duobus insultibus; quorum alter durabat ab octavâ matutinâ, in horam undecimam: alter verò, à secundâ pomeridianâ, in quintam vespertinam.

Donec decrescente paullatim fomite, usque eo decreverit utriusque longitudo: ut tandem vix mediam excesserint horam. Quâ utique declinante, vidimus, post annum secundum, conflagrato jam omni igne, terribile hocce incendium, integrè fuisse extinctum. Debellatâ, ex toto, perniciosissimâ illa epilepsiâ, quam, trigesimo octavo ætatis anno, (quem, id temporis, agebat ægra) ceu invincibilem, cum omni antiquitate, crediderat, tota nostra civitas.

Sed summè admirabamur, nunquam ipsi intervenisse, novum insultum: quin evidenter ipsum præsagierint, vel concitatæ temporum arteriæ: vel floridus, manuum, ac malarum rubor. Quibus præsciis signis, tantam fidem habuit ægra: ut iis apparentibus, certò semper

præ-

prædixerit, aliquid monſtri ali, neque ſanè præter rationem: accenſo enim ſanguine mirum haud fuit, motas fuiſſe temporum arterias: tinctam manus, ac faciei cutem: & ex acri, fervidi humoris, vapore, concitatam fuiſſe, novam, contractorum nervorum, periodum.

Quotquot autem accederent Medici, accedebant verò plurimi; omnes contulere, primo ſaltem acceſſu, morbi hujus cauſſam, in vulvam: ſed intellecto legitimo menſtruorum ordine, & auditâ gutturis libertate, direxere contrà, conſilia ſua, in lienem ac atram bilem, in pancreate ſtabulantem. Hæc enim loca, deſignabant perſpicuè, cùm dolor lateris ſiniſtri; tùm calor in lumbis evidentior, quàm alibi. Quibus acceſſere, excreta ſubinde quidem flava, ac porracea; ſed plerumque atra, ac verè nigra: ex quibus, luce clariùs apparuit, cùm lienis, tùm pancreatis vitium.

Quarum partium calor, adſtrinxit ipſi, tam pertinaciter alvum: ut totius morbi decurſu, vix quicquam reddiderit ſponte. Ac proinde neceſſe fuit, eam continenter ducere, per cathartica: præſertim per catapotia (clyſteres quippe averſabatur) concinnata, ex granis undecim extracti catholici, & quatuor pilularum nitri Tralliani. Aut tantundem, vel veratri nigri, vel pulveris hieræ Galeni; prout variaret morbi, inclinatio.

Non omiſſis interim illis, quæ longo uſu, judi-

judicantur, morbo comitiali, apta: quorum tamen tædium, perpulit ipsam assiduò, ad easdem pilulas: quibus etiam, usque eo, benedixit misericors Deus; ut illis propemodùm solis, cesserit pertinacissimus hic morbus. Devictus procul dubio, cò tardiùs; quò minùs dormiverit noctu, & parciùs aleretur interdiu. Semel tantùm capiebat cibum, in die; eumque semper, circa octavam vespertinam: & quâlibet nocte exagitabatur ab indefatigabili vigiliâ: uti interdiu, à periodicis nervorum distentionibus: plerumque ita efferis; ut continenter opus fuerit, excarnificatos nervos, illinere leni aliquo cerato: sed præcipuè in plantâ pedis, à quâ, uti incœpit, ita quoque desiit, gravissimus hic morbus.

CAPUT XII.

Tremor periodicus.

AT mentio, reciprocantis hujus periodi, suggerit mihi, simillimum, periodici tremoris, exemplum: conspectum in Affine nostrâ, Margaretâ Brentiâ, virgine pallidâ, & habitus planè pituitosi: quam periodicus hic tremor exagitavit, integrum triennium: facto initio, ab omnibus membris; sed mox desinens, in sola brachia, ac crura: commovens illa non assiduò, sed interpolatis duntaxat vicibus: durante quâlibet periodo, ad horas fermè duas: cum gutture rauco, & voce suppressâ.

Sub

Sub cane verò, & ardente Sirio, contremiſcebant ipſi membra, quâlibet ſeſquihorâ: cum reliqua tempora, cottidiè unam ſolummodò cernerent periodum. Sed menſis Martius conveniebat quotannis, cum ordine dierum canicularium. Nonus dies erat ſemper integer, & expers omnis moleſtiæ: præterquam quod in eo, mutaretur aſſiduo, hora inſequentis periodi. Sive ab occultâ aliquâ, illius numeri, proprietate; ſive à ſanguine, illo die, frequentiùs quàm aliis, emiſſo.

Ipſorum autem circuituum ordo, conveniebat manifeſtè, modò cum maris, modò cum lunæ, modò cum ſolis motu: prout enim horum variaret ratio; pro eo etiam, vel celerius, vel tardius, accedere, & recedere, reciprocantis tremoris, circuitus. Sicuti namque maris motus, pendet à ſole, ac luna: ſic quoque videre fuit, periodicum hunc motum, plurimùm immutari, ab eorundem ſiderum, vel acceſſu, vel receſſu. Quippe hyeme erant tremores hi tardi; æſtate contrà celeres: & ſub Sirio, tot propemodùm circuitus; quot horæ: à quo tamen moleſtiſſimo tremore, vidimus tandem, hanc virginem integrè reſtitutam.

CAPUT XIII.

Reciprocus capitis dolor.

ARetæus Cappadox, propoſiturus, lib. 1. de cauſ. diuturn. affect. c. 11. diſcrimen, inter

inter κεφαλαλγίαν, & κεφαλαίαν; asserit adpositè, illam recentem; hanc verò inveteratam, & periodicam. Ejusque circuitus, protrahi, modò ab occasu solis, in meridiem; modò invicem a meridie, in vesperum.

Isacium Halmalum infestabat, sub æstatis initium, acerbissimus capitis dolor; invadens, ac discedens cottidie, statis horis, revolutione tam molestâ: ut multoties mihi asseveraverit, se vix fore ferendo cruciatum illum, nisi brevi deficeret. Raro enim excurrebat, ultra horam secundam. At reliquum diei erat sine febre, sine lotii intemperie, ullove, pulsantis arteriæ, vitio.

Durabat autem periodicus hic dolor, ad diem quartum decimum: quamvis interim, nequaquam omitterentur, requisita remedia: uti neque cucurbitulæ scarificatæ; vel vesicatoria occipiti admota: à quibus postremis auxiliis, vidimus non tantùm hunc ægrum, sed etiam alios, plurimum emolumenti percepisse: sed præcipuè mercatorem quendam Brabantinum, quolibet vere, à periodico hoc dolore, tam acriter excruciatum: ut vix palpebras attolleret; nedum verbum ullum proferret, vir alioquin satis verbosus, & minimè tranquillus.

CA-

CAPUT XIV.

Convulsio sedentaria.

VIrgini quindecim annorum, divexatæ frequenter, à vulva, intervenit tandem, admirabilis quædam nervorum contractio: invadens ipsam, non nisi sedentem. Stanti quippe, & ambulanti nihil peperit unquam negotii: quocirca libuit, illam vocare, convulsionem sedentariam: non secùs ac Plautus sedentarios appellavit, calceolarios, sutores, ac sartores; & Titus Livius sellularios, qui in sellulis opera sua peragunt.

Caussa, inusitati hujus morbi, insedit procul dubio, cùm lumbis, tùm ligamentis, vulvam ilei ossibus, utrimque adnectentibus. Motis enim lumbis, & femore, versus sedile inclinato, movebatur evidenter, noxia materia, illic loci stabulans: ex cujus acri vapore, verisimile est, lacessitos fuisse nervos, à spinali medullâ, lumbis concessos: & ex eorum, cum cerebro, consortio, expressam sedentariam hanc convulsionem.

Quam conjecturam confirmavit deinceps curatio. Sustulit namque hanc nervorum distentionem, vehemens exercitium: inducens pernici suo incessu, tantum caloris, exagitatis lumbis: ut discussâ lentâ pituitâ, illic hærente, licuerit virgini domum reversæ, non

modò

modò ſedere ſecurè, verum etiam molliter decumbere; ſine ullâ noxâ, ullâve nervorum contractione, à quâ in poſterum, integrè quoque ipſam aſſeruit, defatigans hæc laſſitudo, quæ etiam ſummopere ſemper proderit iis, qui à lumbagine (quam noſtrates *het ſpit* vocant) infeſtantur.

CAPUT XV.

Præſagium convulſionis periodicæ.

JUvenis melancholicus, adſumpto, ex conſilio cujuſdam chirurgi, euphorbio, corripiebatur primùm horrore inordinato, ſed mox gravi nervorum contractione. Cujus periodicas revolutiones, licet admodùm tardas, præſagiit ipſus adeò infallibiliter: ut vix ulla ipſum occupaverit, quam non prædixerat adventuram, ante octiduum. Quam præſagæ mentis certitudinem, & vidit, & nobiſcum admiratus fuit, non ſemel, vir erectioris ingenii, Joannes van der Linden.

Imputabat autem æger, præſagium hoc, deſtillationi, à capite in pectus, & inde, in ventriculum deciduæ: ex cujus adventu, judicabat adventuros, convulſionum circuitus. Sed concitabatur hic deſtillationum curſus, ex motu atræ bilis, (quâ redundabat) & ex ejus vaporibus, à frigido cerebro, in aquam converſis, veriſimile eſt; jacta fuiſſe, inuſitati hujus præſagii,

gir, fundamenta: innixa fortè iisdem fulcris, quibus innitebatur centurio ille marinus, quem dixi, libro secundo, prædixisse cordis palpitationem, ex tenui urinâ, aliquot diebus ante, excretâ.

Convulsionum verò harum, ea fuit vehementia: ut concuterent non tantùm corpus, sed perturbarent quoque, usque eò mentem: ut suppressâ voce, cogeretur calamo sententiam suam exprimere: ubi paullum remitteret morbi vis. Quam quo impensiùs infringeret ars, sategit quidem, noxiam caussam educere, per medicamenta cathartica: sed morbo inde semper exasperato, confugiendum fuit ad antidota: & imprimis, ad tincturam coralliorum, confectionem hyacinthorum, & tandem ad aquam cœlestem Matthioli.

Argumento certè evidenti, convulsionem hanc, originem traxisse á vapore, ex liene, ad cor; & à corde, in cerebrum, elato: cujus vim ubi infregissent antidota; evanuere utique, convulsiones inde ortæ. Sed manente interim caussâ, atrâ videlicet bile, ob fastidita cathartica, licuit quidem morbum, hac ratione, aliquatenùs lenire, sed nequaquam finire. Juxta nobile Hippocratis effatum, Aph. XII. l. II. „reli„cta in morbis, post indicium solent recidivas „facere.

CAPUT XVI.

Viti ſaltus.

TArantulæ ictus, ut inquietudinem, & canis rabidi venenum, aquæ metum: ſic inducit, vel perpetuas choreas, vel indefatigabilem curſum, illa inſaniæ ſpecies, quam Felix Platerus Viti ſaltum nuncupat. Cujus miſerrimi morbi ſpecimen, licuit nobis aliquando videre, prope Cortracum, modicum Flandriæ oppidulum, in homine verè miſero.

Qui dies ac noctes curſitabat, ſubſultu tam pernici, & agitatione tam perenni, ut præ defatigatione deflueret undiquaque ſudoribus: neque tamen propterea, vel tantulùm quieſceret, homo volaticus, & irrequietæ huic revolutioni, tam ſtrictè addictus, ut nunquam ſe dederit ulli quieti, niſi quam invito extorqueret, inevitabilis dormiendi neceſſitas.

CAPUT XVII.

Malleatio.

AQuâ inſaniâ, haud multùm certè abluſit, illa, læſæ imaginationis, ſpecies: quam à mallei ſimilitudine, lubuit malleationem vocare. Nam velut fabri ferrarii, iteratis ictibus, incudem ſuam tundunt: ſic vidimus mulierem Campenſem, inſaniâ hac percitam, percuſſiſſe inde-

indesinenter genu suum; modò dextro, modò verò brachio sinistro: sed ictu tam vehementi, ut quilibet ipsam maximoperè læsisset: nisi verberantis manus impetum fregissent domestici, interposito molliori pulvinari.

Brachium quidem elevabat, ac deprimebat satis distinctè: sed motum ejus inchoatum, vel incitare, vel retardare, non videbatur, in manu ipsius esse, multò minùs integrè cessare, ab hoc feriendi studio. Quod sanè lubens intermisisset (jam enim, quinque menses, incudem hanc tutuderat,) nisi ipsam potenter eò pertraxisset, falsa imaginatio: vitiata, procul dubio, à fuliginibus, atræ bilis, per lienis consortium, uberiùs in cerebrum translatis.

Cujus caussæ naturam, equidem dum satagerem penitiùs excutere, cum Egberto Bodæo, & Gerardo Rychio, viris, in artis arcanis, abundè exercitatis, subduxit se clanculùm ægra: impediens hac ratione, ne mentis acies profundius dirigeretur in insanam hanc feriendi libidinem: cujus absconditam naturam, nisi nobis invidisset, fugitiva hæc ægra, neque nos sanè invidissemus posteritati.

CAPUT XVIII.

Imaginaria ossium mollities.

VElut non cujusvis est, melancholicis mederi, sic difficulter quoque eradicantur clan-

culùm, ex ipsorum animis imagines, ab atrâ bile, falsò impressæ: cujus tamen ingeniosi inventi, nobile specimen, olim editurus, Philodotus Medicus restituit, plumbeo pileo, cuidam melancholico caput, quod putaverat sibi, jam diu, amputatum. Quo respiciens Cornelius Celsus, suadet lib. III. cap. XVIII. insaniæ huic sæpiùs assentiendum, quàm repugnandum: & non evidenter, ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora, mentem ipsorum abducendam.

Insignis Pictor, infestatus aliquamdiu, ab atrâ bile, imaginabatur sibi falsô, cuncta corporis ossa, adeò mollia, ac flexibilia sibi esse, ut instar sequacis ceræ, facillimè in se complicarentur; si vel minimum illis inniteretur. Quâ opinione menti penitiùs impressâ, continuit se integram hyemem in lecto: veritus, inde si surgeret, aliquid sinistri, & certo certius eventuram, quam hactenùs metuerat, deformem ossium suorum, vel potiùs totius corporis conglobationem.

Quo metu intellecto, nolui ipsi adversari: neque palàm, sed clàm surreptum ire, quam conceperat imaginationem. Asserens propterea, mollitiem hanc non latere Medicos: quin potiùs jam diu animadversam ab Incluto Fernelio, lib. II. de abd. rer. causs. & sicuti cera emollitur, ac induratur: sic plurimùm in ossibus etiam posse artem medicam, modò morigeros se præbeant ægri: ipsius autem ossibus, intra triduum, restitutum iri pristinum stabilimentum.
Et

Et ante diem ſextum, potentiam quocunque ambulandi; dummodò fuerit dicto audiens.

Quæ promiſſa, dici vix poteſt, quantam excitaverint ſpem recuperandæ ſanitatis: & quàm morigerum reddiderint ipſum, in admittendis remediis, atræ bili deſtinatis. Quâ convenienter ex corpore depulsâ, exſolvimus & nos facilè fidem noſtram: jubentes ipſum ſurgere, ex cubili: in quo integram hyemem decubuerat. Verùm cum eâ lege, ut duntaxat inſiſteret pedibus; neque procederet vel latum unguem. Secùs ſi faceret, penes ſe culpam futuram. Sexto verò die, me veniam ipſi daturum, quocunque deambulandi Modò ritè obtemperaret arti.

Quæ certè monita eò fuere rigidiora, quò minus expediit ipſi dolum hunc reſciſcere. Qui quò magis lateret, continuavimus tectè, in medicamentis catharticis. Sed appropinquante jam ſecundo triduo; oſtendimus coràm promiſſi veritatem. Factâ non tantùm veniâ, ambulandi per conclave, ſed etiam in publicum prodeundi, & obeundi jugiter, qualiacunque, ſani hominis, munia.

Quâ libertate tantoperè gaviſus fuit; ut ignoraverit, quibus encomiis extolleret ſanitatis ſuæ Præſidem. Admiratus hinc artis potentiam; illinc deteſtatus ſuam diffidentiam, quod tam diu denegaſſet fidem: à quâ tam ſalutare recepiſſet conſilium.

Vidit quidem hic æger robur oſſibus ſuis re-

ſtitutum: vidit rediviva crurum officia: vidit expeditum inceſſum: vidit alia: ſed ſtultam hanc, totius hyemis imaginationem clanculùm ſibi eripi, nec vidit, nec ſenſit, homo cæteroquin minimè ſtupidus, ſed in arte ſuâ abundè ſagax, & vix ulli ſecundus.

CAPUT XIX.

Mola imaginaria.

QUod ipſum inventum, non minùs feliciter quoque ceſſit uxori Salomonis Galeni. Quæ credebat, in vulvâ ſuâ, contineri molam vivam, interimendam à Medico. Quam operam ſiquidem ipſi denegaſſet, ſatagens rationibus potiùs, quàm ſagaci aliquo ſtratagemate, ſententiam illam evellere, operam perdidiſſet, neque vel tantulum profuiſſet ægræ. Quam præſtitit clam circumvenire, quàm palam convincere.

Monita itaque fuit, haberet exactam excretorum rationem: & ſi quæ conſpiceret atra: vel nigræ fuligini ſimillima: crederet firmiter jam tum expelli molam ſibi ingratiſſimam. Quibus verbis fidem habens, admiſit haud gravatè, modò veratrum nigrum; modò confectionem hamech, aliave expellendæ ejuſcemodi inſaniæ apta. Quorum ope, atrâ bile excretâ, non dubitavit amplius de molæ ſuæ internecione: certa (uti credebat) ex ejus occiſæ colliquatione, ſequi

qui nigram illam dejectionem: in quam prædixeram dissolutum iri, vivum illud monstrum; quod imaginabatur vulvæ suæ inclusum.

A quo licet id temporis feliciter evaserit: incidit tamen haud diu pòst, in simillimam insaniam, sed priore multò graviorem: credens firmiter, se fato functam, eâ conditione, à Deo in mundum remissam, ut viveret deinceps excors. Corde enim suo, à Deo, retento, doluit impensè, aliam esse sibi, quàm aliorum mortalium vitam: quam tamen imaginationem, nulla cùm auferrent stratagemata; afflixit quidem ipsam aliquamdiu, hæc tristitia: sed tandem quoque, licèt tardiùs, discessit: juxta illud elegantissimi Justi Lipsii: Illos ab atrâ bile, curat dies, & quies.

CAPUT XX.

Aquæ metus.

EX venenato canis rabidi morsu oritur terribilis, ac exitialis ille aquæ metus; quem ὑδροφοβίαν appellant Græci. In quo siti enecantur, nec tamen bibunt ægri. Cujus miseriæ unicum remedium est, (siquidem credimus Celso, lib. V cap. XXVII.) nec opinantem in piscinam projicere. Præsertim eò si deveniant, antequam aquam metuant; alias foret spes in angusto, ex eodem Celso, Avicenna ac Cælio Aureliano: imò ipso usu, efficacissimo, omnium rerum, magistro.

Quod ipſum auxilium, tanti, in hoc morbo, fit noſtratibus, ut eo ſolo fermè contenti, vix expetant aliud. Neque ſanè injuriâ. Sanat quippe mare quoſcunque. Neque vidi hactenùs quenquam (licet viderim plurimos) cui tempeſtivè in mare projecto, quicquam ſiniſtri, poſtmodùm evenerit. Sed ſalutari hoc remedio, vel flocci facto, vel tardè, ac timidè adhibito: dedere multi, irreparabiles, ſupinæ ſuæ incuriæ pœnas: obſeſſi jam tum penitiùs, ob longiorem moram, quàm ut ullâ arte diſpelleretur inevitabile ſtrangulationis periculum.

Viro æſtuanti, ac ſummè irrequieto, incenſum cùm foret guttur, utique impedita deglutitio: intenta præcordia; ſpiritus difficilis; ſitis inexhauſta; & vibrans arteriæ pulſus: imperabatur confeſtim ſanguinis detractio: præter clyſterem, & potiones frigidas: quæ duo poſtrema auxilia, ceu humida, expaveſcebat tam evidenter, ut moverit ſuſpicionem hydrophobiæ, quam deinceps confirmavit certò adeſſe, exile aliquod vulnuſculum: quod ante quintum menſem inflixerat rabida canicula.

Quo neglectui habito, neque tanti facto, ut vel convenienter inde extraheretur conceptum virus, vel propterea proficiſceretur maturè ad mare: proſerpſit ſanè hæc labes tam altè, ut infectis viſceribus, degeneraverit in efferam rabiem, & furorem adeò indomitum, ac belluinum, ut nullis coërceretur repagulis: quin potiùs

tiùs miserabiliter pessundaret hominem, cùm per terribiles nervorum contractiones, tùm per incendium, ne toto quidem mari, extinguendum.

Adeò ut opus non fuerit, nec huic, nec aliis ægris, (quos equidem vidi satis frequentes) mortem maturare, sive per stragula, sive per culcitram (uti loquitur vulgus) ori impositam. Pereunt quippe per se, satis celeriter: utpote rarò superstites, cum aquæ formidine, in diem, vel tertium, vel quartum. Quibus addo, quod equidem neminem hactenùs, vel audiverim latrare, vel viderim mordere; nedum cuiquam detrimento fuisse rabidorum sputa: quæ tamen, ne fortè nocerent, jussi nihilominùs, curiosè mari semper abluere: territus exemplo illius sartricis, quam Cælius Aurelianus l. III. acut. morb. cap. IX. scribit tertio die, in rabiem conversam: quòd linguâ tetigisset, pannorum suturas, à rabido morsu conspurcatas.

CAPUT XXI.

Senex rabiosus.

NAuta septuagenarius, demorsus à cane rabido, elicuit minùs maturè virus, brachio suo impressum: neque demisit se ita in aquam: ut invitus eâ satiaretur: in quo tamen Cornelio Celso, hujus auxilii summa. Sed blandiùs, propter ætatem, à liberis habitus, perfundeba-

tur Tyâ fluvio, non minùs leniter, ac si solius cutis immunditiem detersum venissent. Quum tamen expediisset, & penitùs submergere, & inopinato illo terrore, integrè expellere, aquæ metum; ipsum aliàs certo occisurum.

Uti etiam, haud diu post, contigit; proserpente paullatim veneno: & infestante ejus acrimoniâ, primùm quidem brachium læsum: sed mox etiam alas, illi adpositas; à quarum æstu ubi accenderetur cor, occupavit ipsum illicò, non tantum febris, sed tam vehemens faucium siccitas: ut immensùm sitiret: neque tamen vel tantulum biberet, ob formidinem, conceptam non tantùm ex aquæ intuitu, sed ex qualicunque ejus mentione.

Hinc torreri viscera, & præ fervido ardore, tantas intus excitari angustias, ut demorsus senex rejiceret modò stragula sibi imposita, modò verò exsiliret nudus, ex lecto: exclamans stentoreâ voce, ardentius sibi esse incendium, & urgentiorem sitim: quàm ut posset ab homine tolerari.

Quem tamen fervorem, siquidem satageret bibendo compescere, contremiscebant protinùs omnia membra: & sentiens brachii nervos minùs firmos, ad retinendum poculum, ratiocinabatur secum, adinstar illius Philosophi, qui apud Aëtium, tet. II. serm. II. cap. XXIV. describitur se ipsum rogare; quid cani cum balneo. Quod si verò, tantulum liquoris sorberet,

deci-

decidere illicò poculum è manibus, & exhorrescere usque adeò corpus universum, ut exclamarit, non semel, ô homines quid me cogitis, ad ea, quæ naturæ meæ tantoperè adversa.

Tantum itaque profuit huic seni blandior hæc aquæ ablutio: ut potuerit interdum, licet molestè, bibere. Præsertim circa postremos vitæ dies, in quibus licèt biberit affatim, nequiit tamen extinguere incendium, nimis diu inveteratum: multò minùs supprimere convulsiones, quæ haud diu post ipsum jugularunt.

CAPUT XXII.

Catalepsis ex amore.

JUvenis Britannus, impensiùs (ut solet illa ætas) amori indulgens, perculsus fuit adeo vehementer ex inopinatâ matrimonii repulsa: ut obriguerit instar stipitis; sedens in sedili suo κάτοχος, sive detentus, sive congelatus, per integrum diem: retinensque continenter eundem situm, & oculos non minùs apertos; atque olim simillimum adfectum delineavit Galenus, comm. II. in prorrh. cap. LV.

A quâ figurâ, ne latum quidem cùm recederet unguem: jurasses certò, te statuam potiùs quam hominem videre. Adeò quippe fuere omnia non modò rigida, sed planè immobilia. Verùm ubi exclamaretur, altâ voce; rem ipsius meliori esse loco, & cupitam habiturum amicam:

cam: modò ad se reverteretur, prosiliit confestim ex sedili, & quasi excitatus ex profundiore somno, rediit actutùm ad se, disruptis protinùs illis vinculis, quibus ipsum arctè illigaverat, tenacissima hæc catoche.

CAPUT XXIIII.

Pollicis Tremor, à detractione sanguinis.

FAbro cuidam ferrario, nunquam feriebatur brachii vena, quin contremisceret protinùs, vel manus integra; vel saltem pollex ejus lateris, è quo sanguis fuit emissus. Cujus tremoris caussa, procul dubio fuit, cùm à spiritibus evanidis, tùm ab innatâ, humidioris cerebri, imbecillitate: quæ duo in hoc ægro fuere tam magna, ut ipsum tandem præcipitaverint in lethalem apoplexiam. Cujus indicium, uti hìc fecit pollicis tremor, ita alibi designat eandem, vel palpebræ, vel labii palpitatio. Verè itaque, „ vir ingeniosus Actuarius: Tremor fit à natu-„ râ, partim victrice, partim verò victâ. Lib. I. meth. cap. XVI.

Cognoscenda itaque Medicis, non tantùm, communis, sed præcipuè, propria cujusque natura: ἰδιοσυγκρασίαν vocant Græci, quam qui perspectam habet, is demùm verè medetur. Penetravit quippe ad naturæ penetralia: & edoctus, ex simili scintillâ, ingens incendium in iisdem ædibus, aliquando excitatum: contemnit

mnit haud facilè parva initia: ſed metuit inde magnos progreſſus, & conſpicit providè, quaſi ex altiori ſpeculâ, ex tremulo pollice, exitiale, morbi attoniti, periculum.

CAPUT XXIV.
Hydrocephalus.

HUmor capitis hydropem inducturus, inflat, & extendit interdum tam latè nobile hoc mentis palatium: ut in ætate tenellâ, nonnunquam excedat magnitudinem virilem. Deliteſcente aquâ, non minus extra, quàm intra calvariam, & utrobique, modò ſupra, modò infra membranas: obvolventes, vel cerebrum; vel calvariam ipſi circumpoſitam.

Puer quinquennis, diſſectus in valetudinario publico, congeſſerat in capite tantum liquoris, ut vitiatâ naturali figurâ, tantoperè inter ſe dehiſcerent diſſoluta oſſa: ut dilatata ipſorum compages, haud parùm diſcreparet, à virili magnitudine. Cui oneri impar cùm foret, exile corpuſculum, cogebatur, vel perpetuò deſidere; vel aſſiduò incumbere cubili: ſaltem eouſque, dum finem miſeriæ imponeret mors.

Quâ defunctus, oſtendit, in capite ſuo detineri, quinque aquæ libras: quibus effuſis, fuere omnia adeò vacua, ac inania: ut plerique Medicorum præſentium, ſed præproperè, judicaverint hìc conſpici, caput ſine cerebro. At oculi acie,

li acie, illuc penitus directâ, vidimus satis perspicuè, cerebrum non defuisse: sed amissâ figurâ globosâ, induisse formam convexi fornicis: & ab exuberante aquâ, sequacem ipsius medullam adeò fuisse distentam: ut, instar alicujus crassioris membranæ, adhæresceret undique, arcuatæ, dissolutorum ossium, circumferentiæ.

Mirabantur autem summoperè, qui sectioni intererant, Medici, quî, ex tam deformi cerebro, & medullâ adeò extentâ, ac irriguâ, prodierint (quod tamen sanctè adseverabat pueri pater) integra mentis munia. Quum in aliis, vel solius figuræ vitium, inducat, sive morbum attonitum, sive lethargum, vel fatuitatem, vel insanabilem aliquam amentiam.

Aliis verò suggessit, confusa hæc, intricati cerebri, congeries, inexpugnabile argumentum, adversus distincta illa loca: quæ nonnulli adsignant, cuilibet animæ facultati. Alii vicissim credebant, hìc confirmari dogma Aristotelis: asserentis cerebrum, non mentis ergò, sed refrigerandi cordis causâ, constructum. Et prout quisque, vel amore, vel studio fuit, in hanc, illamve partem; pro eo, etiam extulit, rejecitve, vel hujus, vel illius sententiam.

Sed exercitatiores, confugiebant, ad ingenuum illud: Quantum est, quod nescimus! velut namque in aliis, sic certè credibile est, potissimùm nos cæcutire, in genuino cerebri regimine: cujus opera multò fortassis sunt divinio-

viniora: quàm quiſpiam hactenus, ſuo comprehendit captu.

CAPUT XXV.

Hydrocephalus dimidiati capitis.

SIcuti autem priori puero, totum caput: ita protuberat aliis, duntaxat media ipſius pars: hærente liquore, vel in dextro; vel ſiniſtro cerebri ventriculo. In quorum alterutro, memini me bis vidiſſe, ultra duas aquæ libras, incluſas tam ſtrictè uni iſti parti; ut altera foret, planè illæſa, ac integra.

Inuſſerat quidem hiſce capitibus, ulcera chirurgus; & diſſecuerat non uno loco, cutem: ſed utrumque, æquè improſperè; exſtillante humore, magis guttatim: quàm tam effusè; ut levaret cerebrum: & exhauriret fontem, vitalem calorem, aliàs certò, extincturum.

CAPUT XXVI.

Polypus narium.

POſt frequentes deſtillationes, occupavit uxorem æditui, divi Adolphi, inſignis polypus: colore albus, & ſubſtantiâ pituitoſus; ſed obturans narem utramque, at imprimis ſiniſtram: cum ſpiritu difficili, & continuo ſuffocationis metu. Conſpiciebatur quippe, non tantùm in naribus; verùm etiam in gutture;

cum

Tab, I.



1 2 3 . 4 5 6 7 8. pedes
a . incipiens carcinoma
b . c . d. venę

cum duplici carunculâ: alterâ albâ, ac leni; alterâ verò lividâ, ac durâ, imò parum distante, à naturâ carcinomatis. Sed in eo discrepabant evidenter: quod disparem, præ se, ferrent figuram: quæ enim in illa, humanum ventriculum; illa expressit non malè in hac, formam ovi columbini.

Suadentibus itaque, celerem remediorum usum, hinc præcipiti carcinomatis metu; illinc verò æstuantium faucium fervore; & humoribus acriùs nares jam erodentibus: tentatum fuit impedimentum hoc inde extrahere. Sed fractis magis, quàm eductis illinc carunculis, arrepta fuit deinde forcipe, illa pars; quam diximus in faucibus carcinoma minari. Quâ potentiùs vellicatâ, sequebatur protinùs integer polypus: cum omnibus suis pediculis, tam in naribus, quàm gutture conspicuis.

Quem inopinatum eventum, quantùm mirarentur amici: tantùm invicem exhorruit ipsa ægra. Verita hoc improviso raptu, totum palatum sibi eripi. Sed reversa, paulò post, ad se, gavisa fuit impensè, quod careret jam illo impedimento: quo conjecta fuerat, non modo in urgentem spiritus difficultatem: verùm in perniciosissimum, præsentis strangulationis, periculum.

Erant autem huic polypo (cui vel à pisce marino; vel à pedum frequentia nomen) octoni pedes, incipientes singuli, instar pyrorum, à

D tereti

tereti pediculo: orto ab excreſcentiæ hujus centro. Unde quoque prodiere venæ: per ipſam diſperſæ. Pedes autem, quos carunculas vocant Medici, plurimùm inter ſe diſcrepabant. Qui enim in naribus erant oblongi: illi ipſi fuere in faucibus rotundi. Sed omnes erant tecti membraneo velamento, ſub quo continebatur concreta pituita. In pleriſque mollis, ac pellucida, inſtar pulpæ pruni albi: in aliis verò dura, ac opaca, adinſtar cornu aduſti.

Argumento certè evidenti, metuendum non tantùm, à lividis, ac melancholicis: ſed etiam à polypis albis, ac pituitoſis. Præcipuè ſi vel à fervido ſanguine; vel ab æſtu, intùs concluſo, degenerent in naturam carcinomatis: uti hìc evidenter factum. Errant itaque non leviter, qui judicant, polypum pituitoſum, carere omni periculo. Quod plerumque quidem verum; ſed nec promiſcuè, nec indifferenter.

Sed dicat quis? annon fortuitum hocce tentamentum? & inopinata hæc polypi, per fauces eductio? imo ita, ut etiam alios noverim, quos hoc exemplum docuit, idem in aliis quoque experiri. Neque ſanè minore cum felicitate. Juxta illud Poëtæ Manilii:

Per varios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante viam.

Quòd ſi verò lubeat medicamentis rem tentare, confugiendum erit ad pulverem vitrioli calcinati, colcothar vocant Chymici: vel ad radi-

radicem hermodactyli albi, exceptam aut melle rosato, aut aquâ sabinæ. Quibus remediis corrugatur magis, quàm aperitur polypi tunica. Nec penetrat hic pulvis per angustiam, prope nasi finem, ab excrescentiâ hac, obthuratam.


Unde tamen, nisi eduxeris carunculas, illic stabulantes: luxuriabit continenter eadem hæc seges. Et ex affluxu novi humoris, intumescet assiduò, quæ in exsiccatâ tunicâ remanserat, pulpa. Nisi fortè involucrum ipsius, sit adeò teres, ac molle: ut à pulvere hoc, absumatur non minus pulpâ, quàm tunica illam succingens. Quem ipsius successum, alicubi, aliqui experti, credidere propterea, sed satis temerè, pulverem commemoratum, ubique locorum idem pollere, & infallibiliter sanare, quemcunque polypum.

CAPUT XXVII.

Polypus Cordis.

CRedidit Galenus, interiora cordis nullum pati tumorem, quin protinùs fatisceret homo. Sed indefessa, insequentis ætatis, indagatio, invenit tamen non semel, in ipsius ventriculis, non unum tumoris genus. Imò glandulas, carnem, ossa, pinguedinem, & interdùm ulcera. Ut sileam nunc aliorum experimenta, confirmabit id abundè, mirabilis illa excrescentia: quam juxta mecum, in sinistro cordis sinu,

Tab. II.



aa Rami polypi.
bb polypus.
ccc pedes polypi.
dddd cordis fibræ.
e mucro cordis.

fff Arteria aorta dilatata.
ggg latus cordis.
hhh Arteria venosa expansa.
iii tres valvulæ.

invenere præcipui, noſtæ civitatis, Medici: indigitantes eam uno ore, polypum cordis. Surgente vocis etymo, aliquatenùs quidem à pedum frequentiâ: ſed potiſſimùm, à formæ, ac materiæ ſimilitudine.

Momma Baxius, homo trepidus, ac hebes, occiſus repentè, à morbo attonito, obtulit ſecanti chirurgo, cerebrum adeò flaccidum; & membranas ipſius, tam frequenti pituitâ perfuſas: ut opus fuerit, eam ſpongiâ detergere. Quâ eâdem pituitâ, replebantur utique & venæ, per cerebrum diſperſæ; nec minùs, ſinus falciformis: & quidem utrobique, tantâ copiâ, ac lentore: ut inde potuerit extrahi, inſtar longioris alicujus fili.

Movente hac concretâ pituitâ, non levem polypi ſuſpicionem: ſed quem, id temporis fruſtrà quæſitum ivimus in naribus: illum offendimus deinceps inſcii, in ſiniſtro cordis ventriculo: in quo ſimile quid etiam, animadvertit vir diligens, Caſparus Bauhinus: ſed ex materiâ adiposâ, cum noſter polypus fuerit, à concretâ pituitâ. Uti videre eſt, in appendice operis anatomici.

Sed antequam hunc polypum pleniùs deſcripſerim: ſatiùs erit tantiſper adhuc immorari, in pituitoſo hoc cerebro: in cujus ventriculis invenimus, non tantùm plurimum aquæ, (quod attonitis familiare) ſed ſpinalem medullam ita humidam, imò udam: ut neceſſe fue-

rit, exuberantes liquores, priùs ſpongiâ abſorbere: antequam licuit inquirere, in naturam nobiliſſimæ hujus partis.

Quam medius fidius, longè invenimus aliam, quàm hactenùs expreſſere ſpecioſæ, Anatomicorum tabulæ. Involvebatur autem, hæc medulla, ſacræ fiſtulæ incluſa, tribus tunicis; quarum cuilibet ſuæ inerant venæ: ſed in duabus propinquioribus, tam eleganti ordine diſperſæ: ut ad amuſſim exprimerent, variegatum marmor.

Nervorum autem paria, prodibant ex cervice, non diſtincta, ac ſejugata; uti quidem delineantur: ſed tranſibant plerumque per idem foramen, modò quini, vel ſeni; modò vero deni nervi. At in thorace diſpar fuit ratio; prodeuntibus illic nervis ſeparatim, quorum principium etiam tantùm diſcrepabat ab exitu: ut nervus, tranſiturus, per foramen quintæ vertebræ, inciperet plerumque circa primam, aut ſecundam. Quem ordinem etiam in aliis paſſim vidimus obſervatum.

Sed prope os ſacrum, quæſivimus quidem curioſè, ſed non invenimus, piloſa illa filamenta; quæ depingit Andreas Laurentius, ſcriptor alioqui minimè infidus. Occurrere quidem nobis nervi, illic magis, quàm alibi diſſoluti: ſed interim compacti, & tam preſsè uniti: ut ab aquâ tepidâ, (licèt aliquamdiu, in illa detinerentur) nequaquam ita difflueret, conglomerata

rata ipsorum compages: uti idem asserit auctor. Nisi fortè intellexerit, per filamenta sua, teretes illos nervos: in quos dispescitur evidenter, extrema spinalis hujus medullæ pars.

Sed ad polypum ut revertar, constabat is, ex albâ, ac concretâ pituitâ, inclusâ membraneo involucro: & inhærens suis radicibus, carneis cordis fibris, assurgebat bifido trunco, obthurata non minùs arteria aorta, quàm venosa. Quarum nobilissimarum viarum obstacula impedimento fuere: ne deinceps vel aërem liberè attraheret; vel fuligines debitè expelleret cor. Nedum exactè se clauderent valvulæ, post egressum spiritus vitalis. Cui tamen usui, illas ibidem loci destinavit sollicita natura.

Unde factum, ut partim, ob exclusum aërem; partim verò ob retentas fuligines; & spiritus, plus æquo, dissiaptos: infirmaretur, usque eo, cordis robur: ut nequiverit ampliùs suum officium facere: multò minùs spiritus vitales, (ut par erat) quibuscunque partibus impartiri. Quorum calore ac fotu ubi carendum fuit: refrixit inde confestim corpus: emarcuit animus: & torpuit tam vehementer cerebrum: ut tandem perierit, à gravissimâ apoplexiâ.

CAPUT XXVIII.

Oculi procidentia.

MAlè vocant nonnulli, quamlibet oculi procidentiam, ſive πρόπτωσιν, ſive σαφύλωμα Pauli Æginetæ lib. III. cap. XXII. & lib. VI. cap. XIX. Loquitur quippe illic, de illâ procidentiæ ſpecie, quam produxit, vel rupta, vel elevata oculi tunica: cujus etiam meminit Cornelius Celſus, lib. VII. cap. VII. in ipſo (in-„quit) oculo, attollitur nonnunquam ſumma „tunica: ſive ruptis, intus, aliquibus membra-„nis, ſive laxatis, & ſimilis figura fit acino: un-„de id σαφυλωμα Græci vocant.

At longè aliud procidentiæ genus, contigit nobis ſubinde videre, poſt Victorem Trincavellium, ac Fabricium Hildanum: qui idem quoque memoriæ conſecrarunt. Protuberantiam videlicet, non membranæ uveæ, elevatæ, vel inſtar acini, vel capitis muſcæ: ſed tumorem totius oculi; effundentem ſe tam latè, ex ſede ſuâ, ut deturpet faciem univerſam.

Quem deformem, excidentis oculi, prolapſum, ſiquidem lubet reducere ad nomen aliquod antiquitati uſitatum: videbis eum Paulo Æginetæ ἐκπιεσμόν vocari; l. III. cap. XXII. „Exprimuntur (inquit) oculi, & exerti perma-„nent: cauſa eſt, vel ſtrangulatus, vel dolores, „qui frequenter accidunt, ex partu: quos ſol-„vunt uteri purgationes.

Sed

Sed Aëtio, ac Cornelio Celso, vocatur idem vitium πρόπτωσις, tumor videlicet, ob magnum,, inflammationis metum, oculos sede suâ pro-,, pellens. Celsus lib. VI. cap. VI. Verum addit Aë-,, tius, procidere usque eo oculum; ut à palpe-,, bris contegi haud possit: imò vergere interdum,, ad malas, & ipsa supercilia. lib. VII. cap. XXIV.,,

Ex suppressis menstruis, inciderat filia cujusdam vitriarii, in immodicum narium profluvium: quo intempestivè, ab iracundiâ, subpresso; convertebatur protinùs, omnis, impediti sanguinis, impetus, in oculum dextrum; qui inde usque adeò intumuit: ut sede suâ propulsus, deformaverit, mirum in modum, totam faciem. Cujus vitium uti auferret, nihil non nobiscum molitus fuit, vir jure magni nominis, Vopiscus Plempius; sed successu minùs prospero.

Induerat quippe jam tum naturam carcinomatis, cum cute lividâ, tubere inæquali, & pure tam acri: ut vitiata forent inde narium ossa; & vires præterea, adeò fractæ: ut nihil profuerint etiam saluberrima consilia: nisi fortè lubuisset oculum excidere: quod tamen crudele auxilium, licet succedat nonnunquam feliciter: equidem haud facilè suaserim: nisi constent vires.

Atenim, sublatâ è vivis ægrâ, vidimus evidenter procidentiam hanc originem traxisse, ex tumore ponè oculum delitescente: quo adaper-

to, occurrebant passim venæ laceræ; membranæ distentæ; ossa carie infecta; & tantum sanguinis cùm extra, tùm intra cerebrum, effusum: ut nulli mirum videretur, periisse virginem, tot hostibus circumventam.

Inconsideratè itaque agit, quisquis satagit coërcere, qualecunque sanguinis profluvium: distinguenda sunt cautè loca: & vitanda obnixè, quæ hìc signantur, brevia: satius enim naturam liberare, quàm onerare: & præstat interdum, sanguinem aliquamdiu fluere: quàm indiscriminatim inhibere.

Quòd si verò procidentia hæc originem traxerit ex lue venerea, (uti interdum fit) ex re ægrorum fuerit, aquâ mercuriali, aliove aliquo Mercurii litu, partem attingere, cujus deforme vitium felicissimè hoc remedio superatum iri videbis.

CAPUT XXIX.

Encanthis cancrosa.

Ἐγκάνθις est Cornelio Celso, ac Paulo Æginetæ, tuberculum, enascens, in oculi angulo: quem κανθὸν nominat, Ruffus Ephesius lib. II. cap. V. dividitur autem in benignam, ac cancrosam. Illa ut occurrit frequenter, sic hæc non nisi rarissimè.

Vidimus tamen eam, luce clarius in naupego Hornano: cui, ex fluxu lachrymali per oleum vitrio-

vitrioli, intempeſtivè ſuppreſſo, uſque eò luxuriavit glandula, à narium parte, oculis adpoſita: ut ejus excreſcentia cooperierit, non tantùm malam: ſed degeneraverit quoque in perniciosiſſimum carcinoma. Quod tentavit quidem filo comprehendere, & convenienter fèrro exſcindere Cornelius Sasboutius, lithotomus, ac chirurgus ſatis felix: ſed acquiſiverat jam tum eam malignitatem hic tumor: ut vix potuerit attingi, quin protinus, profunderet plurimum ſanguinis: ac proinde neceſſe fuit, ſolis lenientibus uti: quibus exitium ægri magis fuit dilatum, quàm ablatum. Viderint itaque illi, quibus acria medicamenta in frequenti uſu: quam facilè committatur error: nullâ arte deinceps emendabilis.

CAPUT XXX.

Vulnus pupillæ ſanatum.

QUantumvis raró, vidit tamen indefeſſus naturæ perſcrutator Galenus, renaſci homini, aqueum humorem: ex oculo, per vulnus effuſum: lib. 1. ſympt. cauſ. cap. 11. videre ipſum deinceps & alii: ſed feliciores utriſque ſunt illi, id in ſe, qui vident ipſi.

Sagitta decidens ex altiori loco, diſcidit cujuſdam equitis filio, tam latè pupillam: ut effunderetur non tantùm aqua, oculo incluſa: ſed concideret quoque membrana uvea: hebeſcente in-

te inde uſque eò viſus acie, ut ne admotum quidem candelæ conſpiceret lumen.

Unde plurimùm conſternari parentes; & frequentiùs ingemiſcere familiares: ſed proſtratos haud parum ereximus, eorum exemplo: quibus regenerata aqua, reſtituiſſet, amiſſi luminis, uſuram, ac proinde non abjiciendum animum: ſed ex aliis exemplum capiendum, nobis quod ex uſu ſiet. Non minùs virium eſſe naturæ nunc, quàm olim. Eandem manere rerum faciem; ſecula quidem, & perſonas interire; ſed cauſas, & eventus identidem recurrere.

Quæ profectò monita, tantum valuere, apud ægrum: ut nihil non admiſerit remediorum: inter quæ primas facile tenuere, collyria, cùm anodyna, tùm exſiccantia: quibus ſimiliter uſque adeo benedixit Deus: ut inductâ vulneri cicatrice, brevi ſuccreverit iterùm oculo, aqua deperdita: & pulsâ caligine, redierit rurſus, gratiſſimum viſus, officium: verùm naturali imbecillius: ob cicatricem, uveæ, à vulnere, relictum.

CAPUT XXXI.

Cæcitas à veneno.

INter cæcitatis genera; eminet evidenter *ἀμαύρωσις*, ſive obſcuratio viſus. Quæ duplex eſt; altera cerebro propria; altera verò, à conſortio aliarum partium: prior ſpecies, ut eſt

plane

planè immedicabilis; ſic contrà curatur interdum poſterior. Potiſſima autem, hujus cæcitatis, cauſſa ſtatuitur, humor turgens: vel à bile flavâ, aut atrâ; vel à veneno potui dato. Manente in hac cæcitate, pupillâ ſemper clarâ, ac pellucidâ: licèt interim nihil cernat oculus: ob vitium, nervo viſorio, intrinſecus objectum: vel ab humore eò uberiùs affluente; vel à cerebro, plus æquo, agitato.

Non temerè ergò Dictator noſter, Hippocrates, lib. I. præd. ὄμματος κατάκλεισις, ἐν ὀξέσι, κακόν. Oculi occluſio, in acutis, mala. „ Siquidem enim à bile flavâ, verâ, plerorumque acutorum morborum, cauſsâ, lædatur cerebrum, non modò, quà ſimilare: verùm obthurentur, quoque organa, viſui deſtinata: videbis ejuſcemodi ægro, aut raró, aut nunquam reſtitui, ademptum viſus lumen.

Vultis hanc rem clariùs, legite, ſed non perfunctoriè, aph. III. lib. II. coac. cap. XXIV. ἐν τοῖσι μανιώδεσι, σπασμὸς ἐπιγινόμενος ἀμαύρωσιν ἔχει. Quaſi diceret, convulſionem, quam „ maniæ induxit bilis atra, privare hominem, omni, lucis, uſurâ. Quippe ἀμαυρὸν ipſi appellatur, non quodlibet obſcurum: ſed, quod vel extinctioni eſt proximum; vel quod caret omni lumine. Non ſecùs ac Lucianus, ἀμαυρὸν λυχνίδιον, deficientem lucernam: & ipſe Hippocrates, πνεῦμα ἀμαυρὸν, ſpiritum ita obſcurum, & evanidum; ut ſit verus, mortis, index.

Vir olim ſplendidus, ſed, id temporis, inops, exceptus hilariori convivio, incaluit uſque adeò, à vino: ut inſtar muſti, dolia ſua rumpentis, quoquoverſus exitum molirentur humores, plus nimio, in ipſo concitati. Quærentes exitum, modò per vomitum, modò per dejectionem alvi; modò verò per nares; è quibus ut effusè perfluxit ſanguis: ſic doluit impensè caput: cum febre intensâ; præcordiis æſtuantibus; ſpiritu gravi; oculis flammeis; & mente tam vehementer perturbatâ: ut vel cæcus vidiſſet, bilem ipſi ſummoperè turgere.

Cujus impetuoſum, quò infringeremus, raptum, infudimus illicò clyſterem; & exſolutâ priùs brachii venâ, propinavimus medicamenta, cùm cathartica, tùm intemperiem corrigentia. Quorum ope, inhibita quidem fuit, ſed non tam ſtrictè, effera hæc vis; quin converterit ſe nihilominus, in nervum opticum: inducendo illi peſſimam illam cæcitatis ſpeciem: quam ἀμαύρωσιν nominant Græci. In quâ, licèt omnia oculo ſint pura, nihil tamen vident ægri. Vide Galenum comm. II. in prorrh. cap. II. & Aëtium tert. II. ſerm. III. cap. XLVIII.

Cui pertinaciſſimo vitio, quantumvis protinùs, animosè, cum Roberto Verhoevio, ac Nicolao Fontano, obviam itum: cùm per ferrum candens; tùm per ſtibium potui datum; utique per cucurbitulas ſcarificatas; ſternutamenta valida; filum, per cervicem, trajectum; & ſangui-

guiſugas; affixas non minùs temporum, quàm oculorum venis. Nequiit tamen redintegrari viſus: ſive ob morbum penitiùs jam impreſſum: ſive ob vehementiam alicujus veneni: quod æger adſeverabat Medicis, à ſe adſumtum. Cujus, licet voluerit, exactam haberi rationem: nequiit tamen eò unquam perduci, ut ejus exprimeret naturam; nedum à quo datum: ſatagens clam potiùs muſſitare, quàm palam detegere, injuriam ſibi illatam.

CAPUT XXXII.

Dolor capitis, à naturâ devictus.

CORnelius Tector, vir pleni habitus, excarnificatus aliquamdiu, ab intolerabili capitis dolore: contorquebatur tandem, tam vehementer, à contractione nervorum: ut nihil proficiente arte medicâ, neceſſe fuerit implorare naturæ opem; quæ etiam tam ſedulas tulit ſuppetias; ut pulſo, per nares, plurimo pure, brevi liberaverit hominem, non tantùm à dolore; verùm etiam à pertinaci, horribilis illius convulſionis, causâ. Juxta illud Hippocratis: Capite dolenti, & vehementer laboranti, pus, „ vel aqua, vel ſanguis, per nares, aut aures ef- „ fluens, morbum ſolvit. lib. VI. aph. X. „

Quod ipſum, benignæ naturæ, auxilium, etiam aliis vidimus allatum: cùm per porriginem, tùm per vermes, à naribus, excretos. Quos

Quos hìc licèt ſilentio præterierim, non poſſum tamen non meminiſſe, ſalutaris illius porriginis, quæ affinem Caſparis Barlæi, ſummi, noſtri ſeculi, cùm Oratoris, tùm Poëtæ, liberavit officiosè, ab inveteratâ cephalæâ: expulsâ, per inſenſibilia cutis foramina, viſcidâ pituitâ: adhæreſcente, inſtar glutinis, capillorum radicibus: & producente, paullatim, veram porriginem: defœdantem quidem caput; ſed vindicantem interim ipſum, à dolore, aliàs invincibili.

Diſcant hinc Medici, naturam imitari, & obſervare, cum judicio; quantopere, in capitis dolore, ex uſu ſint, cùm ſternutamenta, in tempore mota; tùm ulcera capiti, maturè inuſta: natura quippe dux optima: nec facilè errat, ipſius qui inſiſtit veſtigiis. Illâ flante, proſpere navigat æger: & interdum, ipsâ duce incredibilia peragit Medicus. Uti ſcitè Seneca: „Naturam ſequentibus omnia facilia, & „expedita ſunt: contra illam viventibus, non „alia vita eſt, quàm contra aquam naviganti„bus.

CAPUT XXXIII.

Dolor, inter caput, ac pedem, reciprocus.

VApores à pede, ad cerebrum adſcendere, ibidemque morbum comitialem producere, novum non eſt. Sed eundem dolorem, à pede, in caput, & à capite, identidem in pedem, reci-

reciproco curſu, revolvi: id certè, non niſi pauciſſimis obſervatum.

Uxorem fabri lignarii, excruciavit aliquamdiu acerbiſſimus dolor: proſerpens, cum manifeſto caloris ſenſu, modò à pede, in caput; modò verò, à capite, in pedis pollicem: in quem ubi deſcendiſſet, juſſimus illicò, cucurbitulam illic imponi: ad eliciendum volaticum illum ſpiritum: qui tam pernici curſu, permeaverat cottidiè, corpus univerſum: eòque extracto, vidimus illicò ceſſare reciprocos illos circuitus: & ægram multò convenientiùs liberatam, quàm ruſticos illos, quos Galenus, lib. III. de loc. aff. cap. VII. teſtatur evaſiſſe mortem: amputato illo, quem vipera momorderat, digito.

CAPUT XXXIV.

Pedes Talpini, Capiti humano, innati.

INeffabilem, diſſimilium, ſimilitudinem; & uniformem, diverſorum formam, offert quidem nobis aliquatenùs, mundus univerſus: ſed multò evidentiùs, incomprehenſibilis conſenſus; & admirabilis, ſingularum partium, inter ſe, harmonia. Cujus ea vis eſt: ut terreſtria aquatilium; & volatica terreſtrium, imitentur naturam. Neque quicquam ſit uni elemento ita proprium: quin id ipſum, communicet utique cum aliis obſequioſa natura.

Sic exhibet mare coralli arborem; avium pe-

des ornuthopidum; earundem roſtrum geranium; pulmonem, pulmonaria; teſtes, ſatyrium; & colem, phallus. At homo, animal perfectiſſimum, licet contineat in ſe, omnium animantium, formas: raro tamen fert, præ ſe, aliorum figuras. Niſi fortè, vel errante natura, in prima conformatione: unde fiunt monſtra: vel eâdem irritatâ, à diutinis abſceſſibus, quorum putredo offert nonnunquam Medicorum oculis, mirificas, imò prodigioſas rerum figuras. Velut videre eſt, apud Galenum, lib. XIV. meth. cap. XII.

Pauperculæ, ab Eccleſiâ, enutritæ, obſidebatur caput undiquaque, à manantibus, ac ſordidis illis ulceribus, quæ ἀχῶρες Græcis vocantur. Quibus ſummam cutem diſrumpentibus, conſpurcantur omnia ſanie. Sed quod ſummè admirabile, excrevit hic, ex quolibet ejuſcemodi ulcere, neſcio quæ durior cartilago: figurâ, ac colore, talpæ pedi, ad amuſſim ſimilis: cooperiens capitis cutem, inſtar porriginis.

Quam deformitatem, quò auferret ars, uſa fuit præter cathartica, ac fomenta, partim exſiccantia, partim detergentia, ipſo ferro candente: cujus beneficio, demetebat, inſtar falcis, luxuriantem hanc meſſem. Quæ tamen paullo poſt, iterùm repullulavit: ſed ea fuit inopis hujus mulieris ſordities: ut maluerit retinere deforme hoc vitium, egeſtati ſuæ fortè

non inutile: quàm convenienter iterùm ab eo liberari.

CAPUT XXXV.

Respiratio per aures.

LAtitant in ore humano, duo angusti ductus; adscendentes utrimque ad latera maxillæ versus aures, inter processum mastoideum, ac stiliformem, supra glandulam superiorem juxta gulæ principium positam; quarum ingenito aëri ut advehunt pabulum: sic concedunt interdum exitum per aures, spiritui; ob gutturis angustiam, aliàs hominem certò suffocaturo. Uti id bis à nobis observatum, in illâ respiratione, quæ non trahitur, nisi rectâ cervice: ὀρθόπνοιαν vocant Græci: à cujus periculosissimi morbi, suffocatione, equidem vidi duos ægros liberatos: effuso spiritu, per vias jam commemoratas.

Quod auxilii genus, fortè quoque animadvertit olim Alcmæon Crotoniates: asserens propterea, capras auribus spirare. Non quod crederet, illis omne spirandi officium, esse ab auribus: sed quod notaverit nonnunquam, hac viâ, non leve levamentum accedere pulmonibus, á spiritus difficultate oppressis

Docet utique hæc ipsa via: cur surdi acutiùs audiant, aperto, quàm occluso ore. Adscendit quippe per illam, cum aëre, etiam sonus: in-

veniens interdum aurem, intus non tantum læsam; quantum videtur indicare externa surditas. Quibus addo, per hos ipsos ductus, offendi interdum, non parùm illorum aures: quos plus æquo infirmavit lues venerea: quibus aures subinde adeò sunt teneræ: ut eas lædat non tantùm aër frigidus: sed etiam qualiscunque strepitus, inæqualiùs per os, ad aures transiens.

Quid quod hic quoque videre sit, cur surdos non minus recreent sternutamenta, quàm medicamenta salivam ex ore elicientia; ne dicam eos etiam gravius audire, quibus hic ductus quocunque modo in ore obthuratur, sive à palati tumore, sive à glandularum, prope quas excurrit, incremento, à quo memini me in virgine Roterodamensi vidisse præter surditatem, etiam obortum fuisse molestissimum auris tinnitum, ob retentos procul dubio vapores, per ductum hunc antea emissos. Vis plura de hoc auris meatu, adi Bartholomæum Eustachium libro de auditus organo.

CAPUT XXXVI.

Mors à dente genuino.

DOlor dentium, quàm parvi inexpertis, tam magni fit expertis: idemque & ridetur, & defletur. Quin imò, sunt qui credant, maximum hoc tormentum, semper esse in-

innoxium. Sed crede ò Medice eventibus: & videbis inde, non ſemel produci: vel inemendabilem faciei deformitatem; vel certam mortem.

Goſvino Hallio, Medico Amſtelredamenſi, erupere tam moleſte, dentes genuini: ut opus fuerit illorum eruptionem accelerare, inciſis, ſcalpello, gingivis. Sed tantum abfuit, ut inde vel citiùs emerſerint dentes; vel placatus ſit dolor: ut potiùs cuncta inde ruerint in pejus: excitatis, ab inciſione, non modò febribus, ac vigiliis: ſed etiam deliriis adeò efferis; ut dies noctesque præ furore, diſcurrerit per conclave: antequam miſerrimo dolori finem impoſuerit mors.

CAPUT XXXVII.

Ulcera palati.

ULcera palati occupant, vel os, vel carnem: priora ut ſunt inſanabilia; ſic curantur ægerrimè poſteriora. Vidimus id evidentiſſimè, in Piſtore Alberto: cui ampliſſimum carnis ulcus, in palato, ubi ſanaſſet chirurgus: credidit illicò, homo glorioſus, quæcunque palati ulcera, etiam cum oſſis carie, feliciter ſibi ceſſura. Sed obſervatâ, minus diſtinctè, diſpari, horum ulcerum, naturâ; excidit non ſemel ſpe ſuà; neque tetigit perpetuò, ad quem collimabat, ſcopum.

Quod enim ulcus, in musculis palati sanatur: id manet immedicabile, in osse. Ac proinde haud mirum, si in parte declivi, ac semper madidâ operam luserit: licet uteretur remediis, aliàs satis ingeniosis: aquâ videlicet sublimati, infractâ cum syrupo rosaceo. Quâ, vitiatis ossibus, admotâ, erupit illicò ex illis albicans quædam spuma; quâ aliquoties detersâ, separavit deinde partes cariosas; per oleum cinnamomi, mixtum cum oleo sublimati. Quo remedio equidem, in segregandis celeriter ossibus, nec vidi, nec legi, quicquam convenientius.

Nequiit tamen, vel carnem inducere, diffitis, ulceris, oris; vel ex vitiato osse, tantum calli, elicere: ut obthuraret commodè amplum foraminis hiatum. Sed necesse habuit, tandem confugere, ad argenteam illam laminam: quam ejuscemodi ulceribus, cum adnexâ spongiâ, jubent imponi, quotquot de re chirurgicâ, scripsere, auctores.

CAPUT XXXVIII.

Prolapsus palati.

HActenus quidem, vel omnino præteritus, vel levi saltem brachio, percursus fuit, à Medicis, prolapsus palati. Vitium tamen non minus grave quam rarum. Cujus origo est, à destillatione humoris, deprimente usque eò, musculos sub finem palati sitos: ut præ pondere,

dere, prolapsi, præcludant viam spiritui, cùm per os, tùm per nares erupturo.

Quæ angustia, necessariò pessundat hominem, nisi dictum, ac factum, scalpello tumorem pertuderis: evacuatoque humore illic concluso, aperueris confestim viam, accedenti, ac recedenti spiritui necessariam. Vidi equidem tumorem hunc, in palato, adeò celeri, ac pernici cursu, aliquandò exortum: ut vix licuerit cogitare, de gargarismate: nedum de aliis auxiliis; præterquam de solâ scalpelli incisione: quâ dextrè, & festinanter, id temporis, institutâ, vidimus non modò effluxisse inde, plurimum aquæ: sed detumescente palato, protinùs ad se rediisse, hominem extinctioni jam proximum.

CAPUT XXXIX.

Vox à febre, intercepta.

MAlum Hippocrati est, in febribus, obmutescere. Sed silentium hoc vocat, vel ἀφωνίαν, vel ἀναυδίαν: posteriore autem verbo, intelligit, impedimentum sermonis, ortum: cùm à resolutione, instrumentorum voci inservientium; tum ab eorundem exsiccatione. Resolutio verò, ut fit, à destillante pituitâ: sic exsiccatio, à calore febrili: arefaciente interiorem laryngis rimam. Quod vitium judicatur quidem grave; sed non certò exitiale.

At ἀφωνία ſignificat ipſi, privationem vocis, inductam: vel à graviore cerebri morbo; vel ab omnimoda ſpirituum diſſipatione. Quam ſpeciem propterea, pluris faciunt Medici: utpote cum majore periculo conjunctam. Vultis utriuſque diſcrimen? ἀφωνίας exemplum dabunt, graviſſima apoplexia; & funeſta illa virium reſolutio: quæ in febribus continuis, privat hominem, non minùs vitâ, quàm voce. At ἀναυδίαν proponet perſpicuè, quæ hìc intexitur, hiſtoria.

Puerulus biennis, obſeſſus à febre continuâ, incidit repente in ἀναυδίαν, ſive eam vocis interceptionem: quam infert, partim humor à cerebro uberiùs deſtillans; partim verò, calor febrilis; exſiccans tantoperè, interiorem laryngis rimam; verum vocis organum: ut nequiverit ampliùs voces formare. Muſculos autem laryngis, utique nervos vocales, ſic fuiſſe affectos; docebant evidenter, hinc febres intenſæ: illinc verò, præter ſputa frequentia, tuſſis permanens; & aſſidua faucium irritatio. Quibus ab arte debellatis, ceſſit actutùm, pertinax hoc ſilentium: quod ultra diem quartum decimum, vocem ipſi integrè ſuppreſſerat.

CA-

CAPUT XL.

Idem silentium, à pituita.

Elisæ Germanæ, destillabat quotannis, tam frequens humor, à capite, in nervos voci destinatos: ut propter eorum impedimentum, obmutesceret subinde, non aliquot dies, verùm integros interdum menses. Non quidem semper, sine aliquo vulvæ vitio: sed inhærente plerumque, potissimâ silentii causâ, in humore, musculos laryngis, plus æquo, resolvente.

Fuit quippe is, huic puellæ, adeò frequens: ut sputa inde prodeuntia, replerent cottidiè, aliquot pelves. Quo cursu deinceps, vel sponte, vel arte impedito, contrahebantur illicò, non tantùm omnes nervi: sed suppressâ voce, obmurmurantibus intestinis, & interruptâ spiritus libertate, sequebatur protinùs, tam vehemens cordis palpitatio: ac si ipsa actutùm, pessum ivisset.

Cujus angustiæ evitandæ ergo, monebatur semper, seriò abstinere ab omni sermone, licet interdum forte potuisset eloqui. Siquidem enim, vel minimum satageret proferre verbum; contremiscere illicò omnes artus; concitari abdomen: perturbari spiritus; imò trahi in consensum, pleraque omnia membra, quibus surculos suos impertiunt nervi, sexti paris. Qui se dis-

dispergunt latissimè, non tantùm per pectus; verùm per omnia abdominis viscera.

Habuit quidem, interea temporis, hæc ægra satis exactam sui rationem, neque intermisit unquam, vel decoctum sarsæparillæ, vel pulveres capiti impositos; vel ulcera artubus inusta; nedum catapotia, dejectionis causâ, data. Sed ea fuit cùm viscerum imbecillitas; tùm nervorum laxitas: ut facilè iterum impegerit, in eundem lapidem: raròque transegerit integrum annum: quin inciderit aliquoties vel in graves nervorum contractiones; vel in commemoratam vocis suppressionem.

CAPUT XLI.

Mutus loquens.

JOannes (cui muti cognomen imposuit infortunium) petiturus Italiam, incidit in pyratas Turcicos: quorum religioni nomen dare, quum renueret; adnixi fuere homines feroces, linguam, propterea radicitùs ipsi evellere: sed per plagam, ex vulgi sententia, sub mento inflictam. Verùm eâ crudelitate, minùs ex voto, ipsis succedente, detruncarunt ipsi deinceps, totam illam partem, quâ lingua homini volubilis est; eâque ademptâ, privarunt Juvenem omni voce.

Quâ tres ampliùs annos ubi caruisset; evenit fortè, ut intempestâ nocte, admodùm percelle-

re-

retur, ab inopinato fulgure: cujus pernicissimum lumen, cœlitùs immissum, perstrinxit usque eò, pavidum ipsius animum: ut inde ipsi, non secùs ac olim Crœsi filio, dissolveretur violenter, tenax illud vinculum, quod ipsum sermonis usu, hactenus privaverat.

Quem tamen, ubi vidit sibi restitutum, vix credidit sibi ipse loquenti; nedum ipsi alii. Commovit quippe hæc inexspectata ipsius vox, usque eò totam familiam: ut inde protinùs abortierit, juvencula, ipsi cohabitans. Quo rumore latiùs, deinceps sese diffundente, ivimus & nos tandem Welopum, modicum Hollandiæ oppidum: spectatum coràm, insolitæ hujus rei novitatem: famâ certe suâ, nequaquam inferiorem.

Qui enim integrum triennium obmutuerat, ob mutilatam mediam linguæ partem; eum audivimus, cum eodem vitio, non tantùm distinctè loquentem: sed etiam accuratè pronunciantem, quascunque literas consonantes: quarum tamen enunciationem, solius linguæ apici, attribuunt sagaciores naturæ indagatores.

Sermo quippe non formatur sine motu: nec consonantes literæ sine linguæ apice. Quatenùs enim lingua volubilis, eatenus distinguit vocem, in verba: & prout allidit, vel ad dentes, vel ad palatum, aut labia: pro eo, creditur etiam eruditis, discernere vocabula; & modulari concinnè sermonis sonum.

Ac

Ac proinde haud mirum, læsâ tam evidenter linguâ, genuino, dearticulatæ vocis, instrumento, læsam utique fuisse, & ipsam vocem: sed eandem, post triennii obmutescentiam, manente linguâ, perinde mutilatâ, integrè ipsi nihilominùs rediisse: id sanè excedit omnium eruditorum captum: potuit quippe non modò, expeditè clamare, (id enim & aliis integrum fuit, post abscissam, resolutam, vel ligatam linguam) sed distinxit quoque perspicuè, vocem in vocabula: & eloquutus fuit omnia admodùm articulatè.

Sed ut explicem me clariùs, quoad repagulum, à fulgure disruptum: asseveravit mihi candidè, se protinus à fulgure, percepisse majorem motum, in musculis linguæ. Quasi sublato jam, inæquali illo coalitu, quem sub mento reliquerat, vulnus ibidem à pyratis ruditer sanatum. Verum deglutitio (cui non minùs, quàm elocutioni inservit lingua) mansit ipsi perinde impedita: adeò ut ingenuè conquestus sit, ne tantulum, quidem alimenti, etiam tum temporis transmittere gulam: nisi id in eam intruderet, violento, digitorum suorum, adminiculo. Vide Evagrium histor. Ecclesiast. lib. IV. cap. XIV. & B. Gregorium lib. III. Dialog. cap. XXXII.

CA-

CAPUT XLII.

Gula resoluta.

POst vomitum, vertiginem, ac spasmum cynicum, resolvebantur, sub autumni finem mulieri quinquagenariæ, tam pertinaciter musculi deglutitionis: ut gulâ propterea flaccescente, ne guttulam quidem deinceps potuerit transmittere: licet nec dolor, nec tumor, nedum ulla ipsam urgeret angustia.

Quod resolutæ gulæ impedimentum; ablaturi Medici, intrusere faucibus, plumam acribus medicamentis imbutam, ex sententiâ Aëtii. Sed illa non elicuit adeò pituitam musculis impactam, ut potiùs conjecerit ægram, in præsens suffocationis periculum. Integra enim deglutitio, quantum deprimit gulam, tantum elevat invicem caput asperæ arteriæ: & dilatando ipsius rimam, efficit, ut ob adsumptum cibum, non angustiùs, sed liberiùs trahatur spiritus. In resolutâ autem gulâ, contra quum fiat, mirum profectò non est, ægram hanc propemodùm fuisse suffocatam: à plumâ, obthurante, non minùs laryngem, quàm gulam.

Quarum profectò partium angustia, in caussâ fuit, quò minùs deinceps voluerit admittere, salutarem illum tubulum, quem in simili necessitate, describit Hieronymus Capivaccius, lib. I. cap. LIV. Cujus ope, licuisset fortassis, per

per os, jurulenta ventriculo infundere: eâque ratione vitam, ſi non integrè, aliquamdiu ſaltem ipſi prorogare.

Quo auxilio obſtinatè repudiato, ſategimus tamen, quâ licuit, vires ipſius tueri: & cùm non poſſet id convenienter fieri per os: infudimus tandem idem illud jus, per alvum, beneficio clyſteris. Quod remedii genus, quantumvis plurimi fiat, Abenzoari, Oribaſio, imò ipſi Celſo: tantum tamen haud profuit huic mulieri: ut propterea, licet infunderetur inteſtinis ſatis deterſis, extenderit vitam, ultra diem ſeptimum: in quo diem ſuum obiit.

CAPUT XLIII.

Inedia undecim dierum.

„HOmini (inquit Plinius) non ante ſepti„mum lethalis inedia: duraſſe, & ultra undecimum, pleroſque certum eſt. Brevioris temporis ſpecimen, ut edidit ægra commemorata: ſic exhibet longioris, horribilis illa tragœdia: quam non ita pridem, conſpexit India Occidentalis, in ſeptem Britannis: quibus neceſſitas famem fecit: undecim dierum. Velut nobis ſincerè relatum, à teſtibus oculatis: qui hæc ipſa ventorum ludibria, & humaniter navibus ſuis excepere: & officiosè, ad ſuos reduxere.

Septem Britanni accinxerant ſe, in inſula Chri-

Christophoriana, unius solummodò noctis itineri: ultra quam etiam non extenderant commeatum. At interveniens tempestas abripuit imparatos, longiùs in mare: quàm ut potuerint reverti, ac portum destinatum, ante diem septimum decimum.

Quo tempore pepercere quidem, tam impensè, cibo uni nocti duntaxat destinato: ut suffecerit ipsis in diem quintum: verùm eo utique transacto, luctandum fuit reliquos undecim dies, cum omnimodâ inediâ: quæ eò ipsis fuit gravior; quò ardentiùs, id temporis æstuarit sol: & vehementiùs exsucca ipsorum guttura, exarefecerit, exhalans, incalescentis maris, salsedo.

Cujus intricati erroris, nullum finem promittente spatioso mari, adigebantur tandem (ò durum necessitatis telum!) ancipiti sorti committere; cujus carne urgentem famem; & quo sanguine compescerent inexplebilem sitim. Sed jacta alea, (quis eventum hunc non miretur!) destinavit primæ cædi, primum, hujus lanienæ, auctorem. Non secùs, ac olim Phalaris, teste ipsius epistolâ, æneo tauro inclusit Perillum, primum crudelissimi illius inventi fabricatorem.

Sed, quod summè mireris, fuit hic vir, non magis promptus in dando, quàm imperterritus, in sustinendo, ferocis sui consilii, eventu. Addens confidenter meticulosis animum; & obte-

obteſtans, non ſemel, perterritos: præſidium ab audaciâ mutuandum. Audaces fortunam juvare. Neque ullum ipſis, deinceps reſtare effugium: niſi, dictum ac factum, fugientem vitam ſtiterint humanâ carne. Se lubenter fortunæ ceſſurum: imo beneficii loco accepturum; ſiquidem vel mortuus amicis proſit.

Idem olim, etiam ab aliis, in ſimili infortunio, nonnunquam factitatum: ſic matres devoraſſe ſuos fœtus; uxores maritos, liberos parentes; imò alibi, alios ſe ipſos; alios verò filios ſuos, ob hanc ipſam cauſſam, præcipitaſſe in ardentem rogum. Ac proinde nullam legem neceſſitati hactenus poſitam: quin cuique liberum eſſe; quod invito extorquet inevitabile infortunium.

Quâ oratione: ut non parum lenivit horrendi facinoris atrocitatem: ſic erexit utique, uſque eò flaccidos ipſorum animos: ut tandem reperiretur aliquis, ſorte tamen priùs ductus, qui petierit animosè perorantis jugulum: & intulerit vim volenti. Cujus cadaveris (horreſco referens) expetiit quilibet illorum, tam præproperè, fruſtum: ut vix potuerit, tam feſtinanter dividi. Reſpuentibus interim, nec carnem famelicis dentibus; nec ſanguinem ſitibundo ventriculo; nedum inexpiabile hocce facinus animo; à neceſſitate jam planè devicto: juxta illud Satyrici:

Membra aliena fame lacerabant, eſſe parati
Et ſua.

Re-

Reperiebatur tamen inter ipſos aliquis, qui ob arctiorem, cum occiſo familiaritatem, averſatus Thyeſteam hanc cœnam, noluit fieri tanti facinoris reus, certus, quidvis potiùs perpeti, quàm ſe polluere, tam amico ſanguine. Quæ ſententia obſtinatè retenta, conjecit ipſum, poſtridie ejus diei, in rabiem tam ſævam: ut eâ percitus, ſe ipſum præcipitem dederit in mare.

Sed qui aderant ſocii, non patiebantur, tam inopportuno tempore, famelicis ſuis dentibus, tam deſideratum eripi bolum. At concepta rabies, vitiaverat jam tum, ita ipſius ſanguinem: uti carnes venis circumpoſitas: ut in univerſo corpore, vix quicquam foret eſui aptum, præter exta: quibus ſolis videbatur id relictum, quod faceret, ad avida ipſorum palata.

At tandem miſertus, miſerrimi hujus erroris Deus, deduxit ipſorum naviculam, ad inſulam Martiniam: in quâ à præſidio Belgico, & humaniter excepti; & benignè ad ſuos reducti fuere. Sed vix attigerant terram, quin accuſarentur protinùs, à prætore, homicidii: ſed diluente crimen inevitabili neceſſitate, dedit ipſis brevi veniam ipſorum judex (ut cum Juvenale loquar):

Dira, atque immania paſſis;
Et quibus ipſorum poterant ignoſcere manes.
Quorum corporibus veſcebantur.

CAPUT XLIV.

Lethalis gulæ tumor.

INter œſophagum, ac aſperam arteriam, inſinuat ſe nonnunquam durus, & exitialis quidam tumor: modò foris conſpicuus; modò verò intus deliteſcens. Primùm autem coarctat, ſed mox occludit gulam: & quidem tam ſtricte; ut denegato alimentis omni tranſitu, certò peſſundet hominem.

Cauſam autem agnoſcit, vel pituitam, vel ſuccum melancholicum: & prout, ſive hic, ſive ille humor uberiùs redundet; pro eo etiam augetur, imminuiturve diſcrimen, in quod præcipitat ægros. Pituitoſum tumorem ut interdum; ſic nunquam domabis illum ab atrâ bile. Præſertim ſi occupet mollem, aſperæ arteriæ, partem. Cujus flexiles membranæ, ut ponè facile deprimuntur: ſic antè reſiſtunt potenter, huic tumori, cartilaginei illi annuli: quos inſtar ſcuti, nobiliſſimæ huic fiſtulæ, præpoſuit ſollicita natura.

Signa ejus ſunt, gulæ anguſtia; ſpiritus difficilis; gutturis fervor; ſputa ſalſa; ac perennis ſalivæ ſcreatus. Ipſa autem pars affecta, digito depreſſa, oſtendit tumorem magis latum, quàm elatum: qui quantò deliteſcit penitiùs, tantò magis coarctat, cùm gulam, tùm aſperam arteriam: adeò, ut interdum, nec detur ſpiritui exitus,

tus; nec alimentis, conveniens in ventriculum, ingressus.

Viduæ, cujusdam naupegi, succrevit paullatim, ex destillatione, humilis, ac latus tumor: insidens firmiter lateri, asperæ arteriæ, paullum supra jugulum. Hinc impediri evidenter spiritus, & tandem tantoperè deglutitiones: ut circa summum tumoris incrementum, vix quicquam ampliùs transmiserit gula: nisi fortè exiguas aliquas, lactis vaccini, guttulas: quarum ope nequaquam ubi restaurarentur debitè, vires majoris opis indigæ: emarcuit necessariò corpus; & excessit ipsa, non invita, è vitâ.

Dissecto autem cadavere, & denudatâ convenienter cùte, offendimus hunc tumorem, ad instar carcinomatis, colore lividum, & radicibus diffusum, per quamcunque colli partem. Potissimum verò circa gulam: premendo eam tam arctè, ut ex complicatis ipsius tunicis, excrescerent intus, varia filamenta: obthurantia, intricatâ suâ texturâ, usque eo, perviam hanc fistulam: ut ne ferreum quidem specillum, per eam, nobis licuerit, transmittere.

Intumuerant adhæc, à perenni pituitæ cursu, tam vehementer glandulæ, in medio thorace, gulæ extrinsecùs adpositæ: ut nemo miraretur ampliùs, mulierem hanc incidisse non modò in summas angustias, verùm in famem inexpugnabilem, & novissimè in ineluctabilem mortem.

Sed exceſſit omnem admirationem, arteria cervicalis; tam ampla, ac lata; ut in ſe facillimè recepiſſet duos digitos: ſed interim planè vacua, & omni humore deſtituta. Calor quippe arteriæ, à carcinomate impreſſus, attraxerat eò plus ſanguinis, quàm ipſa fuit recipiendo. Unde veriſimile eſt, tunicas ipſius, præter conſuetudinem, fuiſſe diſtentas.

At humorem attractum, abſorpſit deinde tam validè, idem incendium indies increſcens: ut, arteriâ integrè inanitâ, induceretur inde inevitabilis illa moriendi neceſſitas: quam tectius videtur innuere, Auctor libri de corde, aſſerens, „non inconſideratè, vaſa cordis eſſe fontes hu„manæ naturæ: & flumina, quibus totum cor„pus irrigatur: hæc vitam conferre: ſed ſi exſic„centur, hominem perire.

Quam eandem κενεαγγείην ſive omnimodam vaſorum inanitionem contigit mihi deinceps non minus evidenter quoque videre in emaciato exſucci, ac vere ἐξαίμυ enuchi cadavere: cujus arteriam cruralem offendimus, ut extrinſecùs ſummè duram: ſic intùs aſperam, inæqualem, & omni ſanguine deſtitutam. Sed prioris ægræ arteriam, ut exhauſerat incendium, à carcinomate ipſi penitiùs impreſſum: ſic inaniverat eunuchum ſeptuagenaria ſenectus. Cujus tamen inanitionis, lubuit eò longiorem hìc facere mentionem: quo deinceps diligentiùs penſicularetur, ab illis,

illis, qui cæteris, ut otio, ſic eruditione præpollent.

CAPUT XLV.

Idem tumor à pituitâ.

VIdua locupletis alicujus mercatoris, obſeſſa ab eodem hoc tumore, ſed à pituitâ, curabatur deinceps admodùm proſperè; cùm per catapotia, tùm decocta chinæ: ſed potiſſimùm per continuam gargariſationem: elicientem non tantùm, pituitam faucibus impactam: ſed compeſcentem præterea, fervorem gutturis, tumori huic ſummè noxium.

℞. Maſſæ pilularum agarici. Extracti catholici, ſingularum ſcrupulum. Guttæ Gambæ ſcrupulum medium. Croci, Maſticis, ſingulorum grana quinque. Fiant pilulæ XII. dentur III.

℞. Florum roſarum rubrarum, ſambuci, nymphææ albæ, ſingulorum manipulum. Decoquantur ex aquâ plantaginis, & adde colaturæ libræ uni, cum dimidiâ, aceti ſambucini uncias tres, fiat gargariſatio.

CAPUT XLVI.

Strumarum anatome.

VAriæ ſunt ſtrumarum ſpecies: ſive à loco, ſive à materiâ. Externæ diu ſunt innoxiæ;

ſed internæ brevi periculoſæ. Fiunt autem vel ex pituitâ ſolâ; vel permixtâ, cum ſanguine, ac atrâ bile. Quorum humorum concurſus, ſiquidem exſiccetur, à præaſſante æſtu, producitur nonnunquam in ſtrumis, vel gypſum: vel verus calculus.

Struma à ſanguine, ac pituitâ, vertitur facile in pus: ſed eò quæ non tendit, elice illam, cum involucro, cui includitur: ſed potius conjunctim, quàm ſegregatim. Cavendo obnixè, ne quæ remaneant reliquiæ: quas tamen tolles deinceps pulvere mercurii præcipitati, cautè illis inſperſo. Sed maxima moleſtia erit, à ſeminibus, ſub qualibet ſtrumâ, clanculum deliteſcentibus: quæ licèt mole ſint exilia; neque multum diſcrepantia, à formâ ſeminum lupinorum: producunt tamen perniciosiſſimam, inexpugnabilium ſtrumarum, ſegetem.

Semina autem hæc, obtulit nobis aliquando, orphanotrophium publicum: in collo puellæ, ab hoc morbo ſuffocatæ. Erant verò hæc adeò frequentia: ut non quina, aut ſena; ſed interdum dena, vel vicena occurrerent, in eodem loco. Sed eo ſemper ordine: ut majora incumberent minoribus: declinante ſenſim, uſque eò, ipſorum magnitudine: ut tandem vix æquarent ſemen ſeſaminum: incluſa nihilominùs quælibet ſuâ tunicâ: & apta producere majorem ſtrumam. Manentibus itaque hiſce ſemi-

ni-

nibus, repullulant continenter eadem ſtrumarum germina.

CAPUT XLVII.

Cancer quinquaginta annos innoxius.

CAncer occultus, latet ſæpè diu, ſine offenſâ: ſed irritatus exedit cutem: eâque ſive ſpontè, ſive curantis imperitiâ, adapertâ, coërcetur deinceps nullis repagulis: ſed inſtar ſævientis feræ, depaſcitur quicquid obvium. Et quò liberiùs exhalet vapor, illi incluſus: eò impenſiùs quoque affluit humor, tumorem adaucturus. Ad cujus intima, ſiquidem penetret, circumfluus aër, à tunicis antea excluſus: inſequitur illico, & major putredo; & uberior, partis affectæ, luxuries. Quam ſi ſatagas, vel ferro, vel acribus inhibere medicamentis, idem facis, ac ſi primo vere, coneris rurſus in gyrum redigere, quem ſemel diſſolveris, conglomeratarum araneolarum, globum.

Blanda quippe remedia, ut nihil proſunt, ſic nocent ſummè acria: & quò plus puris, eò penitiùs deſcendit virus; ſeca itaque maturè: vel blandire prudenter. Et ſi lubet, audi Cornelium Celſum, expolientem ſuâ dolabrâ, aphoriſmum XXVIII. lib. VI. Plerique (inquit) nullam vim, „ adhibendo, quâ tollere id malum tentent; ſed, „ imponendo, tantum, lenia medicamenta, quæ, „ quaſi blandiuntur; quò minus ad ultimam, „

 ſene- „

„ senectutem perveniant, non prohibentur. l.
„ CXXVIII.

Filia Goropii Becani, Medici olim Antverpiensis, tulit in sinistris temporibus, quinquaginta ampliùs annos, durum, ac inæquale carcinoma: sed sine ulcere, ullâve gravi noxâ. Verùm increscente paullatim, post tot annos, cùm dolore, tùm pruritu, sive ex adversâ, mariti sui Casparis Conjetti, fortunâ; sive ab atrâ bile eò uberiùs effusâ; imposuit tumori improvide, ex consilio empyrici, nescio quæ adurentia medicamenta.

Quibus cutem erodentibus, concitabatur non modò malum hactenus quietum: sed degenerabat brevi, in carcinoma ulceratum: cum labiis inversis, crustâ cinereâ, sinu deformi, tubere inæquali, colore livido, sanie cadaverosa, dolore, vigiliis, animi deliquiis, ardore, pruritu, aliisque conclamati cancri notis. Quibus nulla cùm prodesset medicina: applicuit tandem blandiens hoc ceratum: quod usus comprobavit, qualicunque carcinomati, summè utile.

℞. Olei rosati uncias duas, ceræ albæ drachmas sex, plumbi usti, ac loti, unciam mediam, oleum cum cerâ liquefiat: & addito plumbo, agitentur sex horas, in mortario plumbeo, ut fiat ceratum.

Præter quod, vidimus ulceratis cancris, utique ab aliis feliciter admoveri, pulverem concin-

cinnatum, ex plumbo liquefacto, tum mercurio vivo: cui siquidem tantillum mercurii vitæ insperseris, rediges omnia in pulverem friabilem: ulcerato cancro adprimè utilem.

CAPUT XLVIII.

Arteriotomia.

SApientiæ Professor, dolens graviter, ex capite, ob impetum sanguinis vitalis eò conversum, adhibuit quidem plurima remedia, sed fermè incassùm. Sed emisso tandem sanguine ex temporibus, convaluit ex toto. Erat autem is colore floridus; sed substantiâ adeo tenuis, ac levis; ut instar spongiæ, sero suo innataret: superficies verò illius, non minùs glabra, ac splendicans, ac si tecta fuisset, à telâ pingui: reliqua autem textura tam erat rara: ut vix attingeretur à cultri acie, quin protinùs dehisceret in varias partes.

Inciditur autem arteria, unico ictu, non secùs ac vena: sed cavendum obnixè, ne vel nimis effusè prosiliat sanguis: vel minùs strictè occludatur vulnus. Cui propterea imponendum, linimentum, expressum ex aquâ frigidâ; cum albo ovi, bolo Armeniæ, ac mannâ thuris. Quæ ne decidant, urgendum impositum linimentum, laminâ plumbeâ, panno lineo involutâ. Eaque ratione, & brevi coit, & solidè glutinatur diducta arteriæ pars, licet id, ob perennem

arteriæ motum, vix verisimile sit Cornelio Celso, operum chirurgicorum aliàs non imperito. Vide Ambrosium Pareum lib. XVI. cap. IV. & Prosperum Alpinum Medicin. Ægypt. lib. II. cap. XII.

CAPUT XLIX.

Sanguis ex dente.

UT molestum, sic quoque periculosum, sanguinem profluere, ex oculis, auribus, ac dentibus, sive quoad ipsas venas, arteriasve; ex quibus facilè plus effluit, quàm partes, quibus destinantur, sint ferendo: sive quod remedia, profluvio huic necessaria, ægerrimè perducantur, ad loca divisorum vasorum.

Mulier locuples, dedita, plus æquo, poculis, concitavit sibi inde, tantum sanguinis impetum, versus caput: ut reseratæ dentium venæ, effuderint cottidiè, plurimum sanguinis. Licet illis, non semel crustam inusserit Chirurgus: per calcinatum vitrioli pulverem, quem colcothar vocant Chymici.

Cujus vi parùm, aut nihil proficiente; ivimus ad pulverem illum adstringentem: quem summoperè commendant Chirurgi nostri: sive in membris amputatis; sive in supprimendo, qualicunque sanguinis fluxu. Præsertim si imponatur laceris venis, arteriisve, cum exsiccato illo

lo majore fungo, quem bovist vocant aromatarii.

℞. Boli Armeniæ, uncias quatuor, calcis vivæ, vitrioli usti, aluminis usti, singulorum sesquiunciam, lapidis hæmatitidis, aloës lucidæ, sanguinis draconis, terræ Lemniæ, croci Martis, mumiæ, singulorum unciam mediam, masticis, thuris, olibani, singulorum drachmam. Fiat pulvis.

Cui plurima acria (quæ consulto omisimus) quum forent permixta, supprimebatur quidem sanguis, ex dente proruens, sed exasperabatur inde tantoperè guttur: ut necesse fuerit, eo omisso, solum fungum denti intrudere: cujus beneficio, etiam felicissimè vidimus coërcitum, impetuosum hoc sanguinis profluvium.

CAPUT L.

Vulnus asperæ arteriæ.

JUvenem, ab atrâ bile, aliquamdiu adflictum, offendit tam vehementer, inopinata, quarundam nuptiarum, repulsa; ut vitæ pertæsus, violentas sibi ipse intulerit manus, præcisis ferro obviis, asperæ arteriæ, cartilaginibus, sed intactis, mollibus illis tunicis, quæ fistulam hanc ponè alligant subjectæ gulæ: illæsis utique venis jugularibus; & arteriis carotidibus, lateri, asperæ arteriæ, utrimque adpositis.

Quæ

Quæ plaga, licet non vitâ, privavit saltem ipsum voce: quod spiritus denegaretur (ut loquitur Galenus, lib. 1. de loc. aff.) proprio vocis instrumento. Cui incommodo festinanter, opem uti ferret Chirurgus, consuit dexterrimè filo diductas vulneris oras: satagens hac ratione inhibere evanidum spiritum. Sed ea fuit impotentis hujus juvenis temeritas: ut disruperit iterùm suturam: & reserato vulnere, præcipitaverit se satis improvidè, in idem, modò non in majus vitæ periculum.

Quippe tam inæqualiter dilaceraverat disruptas oras: ut vix licuerit eas denuo consuere: sed necesse fuerit, illis imponere utrimque emplastrum fabrili glutine illitum: & filo per illud adacto, conjungere hians vulnus, & ex mutuo illo attactu, tandem producere solidam cicatricem. Ad quam etiam pervenit grave hoc vulnus, intra primum mensem, licet interea loci, aliquoties rursus adnixus sit, dissolvere consuta hæc fila: & quà potuit, remorari vulneris coalitum: sed emplastra hæc semel debitè accreta, inhæsere firmiùs: quàm ut avellerentur deinceps, sine ipsâ cute.

Quo ingenioso invento, sanatum quidem fuit vulnus: sed nequaquam furor, menti, ab iracundiâ, penitiùs impressus. Qui tamen tandem degeneravit, in eam, læsæ imaginationis labem: ut crederet, crura sua destitui suris: ac proinde facilè quid sinistri, sibi eventurum:

siqui-

ſiquidem iis innixus, conaretur per conclave ambulare. Quippe carere ſe illo adminiculo, (ſuras intelligebat) quod hominem detineret, in æquilibrio.

Quam falſam imaginationem, induſtrio ſtratagemate, quò eriperem: juſſi ſuras percuti, inopinato ictu: quarum dolorem evidenter ubi percepit; vidit, luce clariùs, ſe illis minimè carere: quin potiùs convaluit, ab eo tempore: neque remanſit ipſi deinceps, ex periculoſo hoc, aſperæ arteriæ, vulnere, quicquam vitii, præterquam quod in concentu muſico, cogeretur ſubmiſſiùs paullò canere, quàm ante plagam inflictam.

CAPUT LI.

Angina interna.

VAria ſunt anginæ genera, ſed nullum perniciosius illo; quod produxit, vel vertebra introrsùm luxata; vel inflammatio muſculorum interioris laryngis. Quorum profundus tumor, ſiquidem coarctet anguſtum, aſperæ arteriæ, caput; & ligulam illi inſculptam, (quæ ſunt proxima vocis inſtrumenta) ſupprimitur non tantùm vox: ſed præcluditur quoque via ſpiritui; vel potiùs ipſi vitæ. Quæ ſine ſpiritu nulli diu durabilis. Ac proinde non inconſideratè, Hippocrates lib. III. prog. latens angi- „ na, vel primo, vel ſecundo die, lethalis. „

Nauta

Nauta pleni habitus, correptus intempestâ nocte, ab urgente faucium angustiâ, traxit illicò spiritum adeò difficulter: ut excitatâ febre, & accenso gutture, inciderit protinùs in grave suspirium, spiritum turbidum, imò ipsam mortem. Cujus periculo, quò subtraheretur, nihil non molitum: sed urgentior fuit necessitas; & vehementior, ab incluso spiritu, strangulatus: quàm ut juverint ipsum, vel sanguis maturè ex utroque brachio detractus: vel incisa ranula: vel cucurbitulæ, gargarisationes, clysteres, cataplasmata, aliaque satis celeriter adhibita.

Anginam autem hanc, sine ullo tumore, in ore, conspicuo, tam parùm, cum juverint salubria hæc remedia: ecquid igitur sperandum? si quis, præteritis improvidè, remediis universalibus, ferierit confestim ranulas. Quibus præproperè exsolutis elicitur quidem frequens sanguis, sed non tam ex parte affectâ, quam à corpore universo. Per truncum videlicet venæ jugularis, cujus sanguis, attractus uberiùs, versus locum, per se, satis angustum suffocat facilè hominem. Uti, ejus infortunii, exempla aliquando nobis visa.

Sed ne quem lateat diutiùs, natura spiritus turbidi, seu πνεύματος θολερȣ̃, conspecti evidenter in hoc ægro. Sciendum Hippocrati nihil familiarius esse, quàm certam, alicujus morbi, desperationem designare, cùm per πνεῦμα

ἀμαυ-

ἀμαυρὸν, id eſt, obſcurum; tum per πνεῦμα θολερὸν, ſive ſpiritum turbidum.

Obſcurum autem ut vocat ſpiritum, exſtinctioni proximum, ſic turbidum, qui ab admixtis, vel vaporibus, vel etiam humoribus, adeò craſſus, ac tenebricoſus evaſit; ut amiſsâ verâ ſpiritus naturâ, quæ conſiſtit in æthereo ſplendore, ac inviſibili halitu; non exhilaret ampliùs cor; multò minùs digerat convenienter aërem inſpiratum; vel ſegreget debitè fuligines: ſed conſpiciatur efferri turbulento impetu; & foras prodire, adinſtar alicujus fumi, elati vehementiore turbine, ſive ab udis, atriſque ceſpitibus, ſive à ſuffocatis carbonibus.

Fatiſcit quippe ſub tali ſpiritu cor: & debilitatur eatenùs calor vitalis: ut fuligines ſive retentæ, ſive ſpiritui perperam permixtæ, vel opprimant, vel interimant hominem. Quo adſpectu dixit fortè Hippocrates lib. 1. prædict.

„ In acutis, tenues ſudores; circa caput, malum: ſed præcipuè, cum urinis nigris, ac ſpiritu turbido.

Quaſi diceret, ſiquidem vires ita ſint debiles; ut non moveant ſudores, præterquam in capite; & accedat præterea urina, quæ nigredinem contraxit, vel ab exſtinctione calidi innati: vel ab atrâ bile illi uberiùs immixtâ: periculum eſt, ne pereat æger. Sed ſi præter commemorata, adverſæ valetudinis, vitia, videmus utique, in ipſo, ſpiritum turbidum: actum eſt, & ne ſalus qui-

quidem ipsa, talem servaverit hominem. Fit enim spiritus turbidus non nisi in extremâ luctâ, in quâ dum satagit anima impedire, quà potest, sui dissolutionem, concitat violento impetu, quicquid in corpore, mobile est.

Et permixtis limpido spiritui, vel crassis fuliginibus, vel atrâ bile, aut sanguine qualicunque, reddit eum summè turbidum; excitando, præter crassiorem aliquem halitum, inæqualem, ac sonoram illam, agitati spiritus, difficultatem, quamin moribundis, interdum confundit cum stertore, Medicorum vulgus.

A quo tamen siquidem lubet, distinguere turbidum hunc spiritum: observa cum judicio, sonitum vel hominis, ab apoplexiâ; vel bovis, à lanione morientis. Quorum pectora post obitum si resceres, videbis asperam arteriam, spumoso sanguine, ubique obsitam; ceu veras, turbati spiritus, reliquias. Quas, procul dubio, quoque intellexit Poëta, ubi cecinit:

Ecce autem duro, fumans, sub vomere taurus:
Concidit, & mistum spumis, vomit ore cruorem.

CAPUT LII.

Ranula.

RAnula sub linguâ excrescens, peperit juveni Gallo, tantum negotii, ut vix potuerit eloqui, nedum deglutire, vel spiritum commodè

modè ducere. Cujus anguſtiæ ergò, decreverat Chirurgus ſcalpello elicere pituitam illic concluſam: ſed induruerat jam firmiùs, quàm ut inde effluxiſſet. Ac proinde mutatâ ſententiâ, conſumpſit eandem deinceps, ferramento candente; impediendo ſimul, ne identidem reverteretur.

At verò, ſi mollis, ac ſequax ſit ranulæ materia, (quod facilè attactu dignoſcitur) noli de exuſtione cogitare; ſed excide duntaxat ſummam ipſius tunicam; & effluet ſpontè, vel exprimetur ſaltem digito, lympida, ac viſcida quædam pituita; ſimillima albo ovi, recens, ex effractâ teſtâ excidenti.

CAPUT LIII.

Cancer Mammarum.

MObilis cancri, ut unicum remedium eſt, tempeſtiva ſectio; ſic citra illam, inextricabilis error. Niſi enim præcidatur, præcidit vitæ filum. Sed vitandæ ſunt curiosè, alæ, aurium glandulæ, & venæ majores: in quarum confragoſis locis, ſæpè plus nocet, quàm prodeſt inciſio, ne dixerim illam ægros non ſemel miſerandum in modum actutum peſſum dediſſe.

Ancillæ Coymanni, increvit, ex ictu, in mammâ ſiniſtrâ, ingens tumor: inclinans quaſi in naturam carcinomatis; cum dolore, æſtu

livore, ac pruritu. Sed ne eo malignitatis devenire, decrevimus eum potius ſcalpello exſcindere. Quod etiam dexterrimè curatum, à Chirurgo Lugdunenſi, qui inciſa duntaxat cute, tuberculum hoc, involucro ſuo incluſum, tam dexterè digito ſuo, ſegregavit à circumpoſitâ pinguedine: ut nihil detraxerit muſculis ſubjectis: & nihilominus integrè exſtirpaverit malum.

Quam curandi viam, etiam ab aliis, aliàs vidimus ſatis feliciter decurſam: ſed ſi contigerit aliquas reliquias intus manſiſſe, expedit quidem illas radicitùs deinceps evellere: per pulverem Mercurii præcipitati: ſed videndum attentè, ne æger inducatur in periculoſam ſalivationem: & ars, in indelebilem ignominiam.

CAPUT LIV.

Evanidæ Mammarum puſtulæ.

MEnſtruis minùs convenienter fluentibus, expullularunt mulieri obeſæ, ac pingui, in mammis, quoties ſugeret, plurimæ puſtulæ: ita evanidæ, ut ablactato infante, identidem protinùs diſſiparentur. Plane eâdem ratione, quâ ſimillimam efflorefcentiam, olim deſcripſit, Vir oculatiſſimus Hippocrates, lib. II. epid. ſect. II. aſſerens, lactanti apparuiſſe puſtulas, in corporis habitu: ſed ſub æſtatem, ubi lactare deſiit, denuò ſubſediſſe.

CAPUT LV.

Livor ex tussi.

FIlius senatoris, Henrici Hudde, tussiit aliquando, tam vehementer: ut retracto spiritu, & excluso aëre, incideret in præsentissimum suffocationis periculum. Dispersis jam tum, per habitum corporis, lividis quibusdam maculis: simillimis exanthemati pestilentiali.

Sed momentanea ipsarum eruptio, utique præcedens tussis, docuere satis luculenter, colorem illum provenisse, non tam à contagio; quàm ab imminente, spiritus vitalis, exstinctione. Quo intereunte, mirum non est, perire utique partibus vividum colorem: & illi è vestigio, succedere luridum, ac emortuum livorem. Est enim spiritus vitalis (siquidem credimus Francisco Verulamio) aura composita ex flammâ, & aëre. Ac proinde, eo suffocato, sive ob motus, sive refrigerii, aut a imenti defectum, videre est, cutem illico nigrescere, aut lividis maculis perfundi: non secus, ac carbones, ab excluso aëre, violenter exstinctos.

CAPUT LVI.

Epilepsia puerilis.

INfans in cunis vagiens, acerbissimis epilepsiæ insultibus ad desperationem Medicorum

adflictus, convaluit tamen præter omnem spem, cùm per admotam podici sanguisugam, tùm per inustum nuchæ ulcusculum, interpolatumque usum syruporum, partim ex carthamo & pœonia, partim vero è roremarino.

CAPUT LVII.

Cutis laxa.

JUveni Hispano vidimus cutem, in universo corporis habitu, adeo fuisse laxam; ut præter alia loca, quæ silentio prætereo, illam, quæ jugulum obsidet, citra ullam molestiam, extenderet ultra os, & nares; sicuti illam, quæ in humeri articulo, non modo ad genas, verum etiam per integram faciem, instar latioris alicujus veli.

CAPUT LVIII.

Lac coagulato sanguini innatans.

GIselberto Dino, lacti impendio nimis dedito, status corporis in eam pedetentim excrevit molem; ut præter exuberans sanguinis è naribus profluvium, indiguerit præterea non levi ejusdem detractione ex brachio. Sed quod summè mirum, loco seri, innatabat utrique sanguini, licet laudabili, & rite coagulato, albissimum lac: nec odore, nedum sapore vel tantillum à lacte vaccino discrepans. Sed cur id

in

in ſanguinis officina, tam parum, aut nihil immutatum? ruminent id ſecum, quibus & plus otii, & elimatior mens. Nos ex re ægri judicavimus ipſum à lacte deterrere, niſi mallet à morbo attonito, aliquando obrui, cujus vi tamen haud longe poſt inopinato ſuccubuit.

CAPUT LIX.

Inteſtinorum calculus.

VIdua peritiſſimi alicujus Medici, annos nata ſeptuaginta, ac plurimum mali, ab acerrimo ventris cruciatu, aliquamdiu perpeſſa, excrevit tandem per alvum calculum, ut oblongum, ſic ponderantem ſeſquiunciam.

NICOLAI TULPII OBSERVATIONUM MEDICARUM LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

Dolor pleuriticus à bile.

DOLOR pleuriticus, alius audit ſpurius, alius legitimus: exſurgente utriuſque diſcrimine, vel à materiâ, vel loco diſpari. Legitimum (qui occurrit omnium rariſſimè) excitat pleura; ut accenſa, ſic diſtenta, ab uberiore, calidi ſanguinis, affluxu. Sed ſpurius occupat varia loca, & agnoſcit varias ſui cauſas: fitque non tantùm à bile, ac pituitâ; verùm etiam à ſpiritu, membranam diſtendente.

Licet verò ſanguis, hunc dolorem producturus, plerumque ſeſe effundat in pectus; per venam thoracicam, prope papillam, introrſum vergentem: quò loci etiam frequentiſſimè obſervatur acutus hic lateris morbus. Contingit tamen non rarò, eundem dolorem occupare, vel humerum, vel jugulum, vel dorſum, vel alia thoracis loca: quæ non minùs cinguntur à membranâ pleurâ; quam coſtæ, pectoris latera tegentes.

Ut

Utut autem discrepent, disparia hæc loca, manet tamen unicum, qualiscunque doloris, remedium: sanguis mature missus. Et quidem toties, quoties extorserit inevitabilis necessitas. Quæ sæpè adeò præceps est, in pernici hoc morbo: ut grande sit paucarum horarum momentum. Et quod vesperi facilè curasses; id in crepusculo, plerunque videas immedicabile, & cum certâ desperatione conjunctum.

Ac proinde si ullibi, hìc saltem acri circumspectione opus est. Ne præpostera, emittendi sanguinis, formido inducat prægnantes, puerperas, ac pueros, in periculosum pectoris suppuratum: à quo certè liberantur paucissimi. Quæ enim hæc dementia est? Primùm metuis exile brachii vulnusculum, & leve alicujus sanguinis dispendium: deinde verò incidis securè ipsum thoracem: & elicis inde, non aliquot sanguinis uncias: verùm integras pelves purè refertas: interdum per aliquot menses, sed sæpiùs, per plures annos.

Vita hæc vada, ô Medice! Satius quippe est, prudenter vitam prorogare, quàm timidè mortem maturare. Improvida namque solicitudo, sævitia adeò est, non lenitas: nedum securitas, sed speciosa temeritas. Secanda itaque vena, cuicunque ætati, ac sexui: maxime si constent vires, & auxilium hoc exposcat imperiosè, inevitabilis necessitas. Juxta illud Cel-

„ſi. In præcipiti periculo, fiunt multa, aliàs
„omittenda.

Filiam Tabellarii Colonienſis corripuit, circa veris initium, acutus lateris dolor, prope papillam ſiniſtram; ex impetu ſanguinis, illuc confertim converſo. Aderant autem illicò febris intenſa, ſpiritus gravis, & urgens pectoris fervor; at die ſecundo frequens ſanguinis ſputum: & eo poſtridiè præproperè ſuppreſſo, tanta, oppreſſi pulmonis, anguſtia: ut ex ore ipſius elideretur non tantùm evidens ſibilus: ſed contremiſceret inſuper totum corpus, ad quemlibet, attracti, aut emiſſi ſpiritus, motum.

At die quarto efferbuit febris, & prodiere ſputa non minùs cruenta, quàm flava: quinto verò, nihil à pectore, ſed plurima, ab alvo. Quâ ſexto iterum ſuppreſsâ exſcreavit rurſus frequenter, ſudavit largiter, & evaſit omnem dolorem. At ſeptimo continuabat ſudor, utique ſcreatus, cum ſomno blandiſſimo, uſque in undecimum: in quo integrè diſceſſit acerbiſſimus hic morbus.

In quo, ter venam ferierat Chirurgus: licet aliis idem auxilium, modò quinquies, modò adhibeatur octies. Neque tantùm corporibus valentibus, verùm interdùm quoque, prægnantibus, puerperis, ac pueris ſive trimis, ſive quadrimis. Quorum certè intolerabilem lateris dolorem, niſi tolleret interdum ſanguis, ex bra-

brachio, emiſſus: quî evaderent thoracis ſuppuratum? imò perforationem muſculorum intercoſtalium, & ipſius pleuræ? quæ neceſſariò requiritur; ubi pus in thorace collectum, minùs convenienter expellit pulmo. Animosè itaque, ex Hippocrate, Cornelius Celſus. Ve-„ hementi morbo non ſuccurrit, niſi remedium „ æquè vehemens.

CAPUT II.

Sanguis, octies puerperæ miſſus.

UXori Caſparis Walendalii, inſurrexit, octavo, à partu, die, acerbiſſimus lateris dolor: repetens identidem, tot inſultibus; ut neceſſe fuerit, ter pedis, & quinquies brachii exſolvere venas: antequam compeſceretur iterum, ſanguis, à ſuppreſſis menſtruis, ſurſum raptus. Sed ea fuit ipſi, virium conſtantia: ut, præter ſanguinem toties detractum, ſuſtinuerit etiam inſuper ingens alvi profluvium, antequam integrè, evicerit hunc morbum.

CAPUT III.

Pleuritis, ſanguinem venis ſubtrahens.

UXor Martini Collenſis, mulier macra, ac ſummè bilioſa, obſeſſa à lateris morbo, expetiit ſummoperè detractionem ſanguinis:

ſed eâ maturè ſatis inſtitutâ, retrahebatur tàm potenter ſanguis, verſus thoracem, ab acerrimo ipſius dolore: ut vix quicquam illius erumperet, ex venâ incisâ. Sed ubi imperatum fuit ægræ, per validiorem tuſſim, reciproco curſu, ſanguinem à thorace iterùm, verſus brachium propellere: vidimus eum liberaliùs proſiliiſſe, & ægram brevi, à dolore liberatam.

Siquidem itaque ſimili quis involvatur procellâ, confugiendum protinùs ad hoc ipſum aſylum: excitanda illicò tuſſis, & repellendus eâ ratione ſanguis, ad brachium. Quod inventum equidem vidi, multis deinceps, admodum feliciter ſucceſſiſſe: tollit quippe, quod aliàs tolleret hominem.

CAPUT IV.

Pleuritis ſuppurata.

VIduæ ſexagenariæ, in lateris morbo, minùs mature, cùm exſolveretur brachium, collegit inde plurimum puris, in thorace: cujus onus, quò expelleret officioſa natura, demonſtravit tandem quaſi digito, locum, inter coſtas, evidenter protuberantem: quem ubi perforavit Chirurgus, manſit ægra exitio ſuo ſuperſtes: & ejecit cottidiè, per inflictum vulnus, fœtidum, ac ſordidum pus.

Quam, lateris ſuppurati, inciſionem, equidem

dem frequenter vidi institutam: interdum quidem prosperè, sed pluries infeliciter. Sive quod adimat pulmoni motum: sive quod tamdiu plerumque continuet: ut vix id sufferant vires; vel corporis totius; vel pectoris solius: cujus viscera usque eò infirmat frigidus ac indigestus aër: ut rarò evadant mortem, quibus hâc viâ pus elicitur.

CAPUT V.

Legitima Thoracis sectio.

QUod si tamen pus, incumbens septo transverso, reddiderit spiritum admodùm difficilem, jubent Medici latus incidi; sed de sectionis loco, magnus sententiarum conflictus est. Eligentibus aliis interstitium quartæ, ac quintæ: aliis verò tertiæ, ac quartæ costæ. Sed posterior sententia præponderat evidenter: educendo convenientissimè, quicquid diaphragmati negotium parit.

Sed dispar est vivi, ac mortui hominis ratio: quippe in viventibus, elevatur diaphragma, multò altiùs, quàm in mortuis. Sed in diutinâ suppuratione, languet, vel potiùs emoritur tantoperè, vis expultrix: ut multò faciliùs expellat onus suum, per viam declivem, quam sublimem. Vidit id aliquando valetudinarium publicum, in homine verè infelici; cui viventi, nihil puris subduxit superior: sed plu-

plurimum ſectio inferior, poſt mortem inſti-tuta.

Dirige itaque curſum tuum, ô Medice! per lineas hìc ſignatas: & excipe gratè, quod præfertur lumen. Sed ſeca maturè, conſtantibus viribus, & integris viſceribus: aliàs educes quidem pus, vel cruorem: ſed neutiquam ex periculo ægrum. Ac proinde non temere monuit „ prudentiæ genius, Hippocrates. Tabeſcentes „ citò inurendos. aph. VIII. lib. VI. ſect. VII. epid.

CAPUT VI.

Pus thoracis per umbilicum.

MAgni quidem facienda, ſalutaria Medici; ſed non minoris, naturæ auxilia: quibus juvat nonnunquam, humanâ ope deſtitutos. Satagens nihil non tentare, antequam diſſolvatur nobilis humanæ fabricæ compages. Præcluſâ viâ ſuperiore, decurrit inferiorem: eâque ſimiliter impeditâ; deflectit altrinſecùs. Nihil quippe ipſi eſt invium. Quin potiùs omnia pervadit, dummodò in libertatem aſſerat hominem.

Sponſæ pleuriticæ ſeriùs opem imploranti, ademit quidem ſanguinem deinceps Chirurgus: ſed neutiquam dolorem, nedum tuſſim, & pus: in quod ſe converterat inflammatio pleuræ; minùs maturè, per detractionem ſanguinis, adjuta. In quo urgente vitæ periculo, varia

varia quidem tentavit ars, ſed fermè incaſſum. Tandem verò, manum operi admovit officioſa natura: & excitavit primùm quidem, inſignem abſceſſum in alis: ſed deinde ſimilem, imò majorem, prope umbilicum: per quas vias expulit ipſa quidem lentè; attamen adeò ſalubriter, pus in thorace contentum: ut priſtinam ſanitatem, brevi inde, recuperaverit ægra.

CAPUT VII.

Rara, difficilis ſpiritus, cauſſa.

CIvis Amſtelredamenſis, ſeptem ampliùs annos, divexatus ab indefatigabili tuſſi, traxit continenter ſpiritum, adeò difficulter: ut corpus ipſi ſummoperè emarcuerit. Sed ejecto tandem, per vehementiſſimam tuſſim, putamine, nucis avellanæ: duxit illico ſpiritum commodiùs; & evaſit celerrimè, quod vitæ intentabatur, periculum.

Inhæſerat autem hoc putamen (quod adæquabat unguem humanum) circa caput aſperæ arteriæ: uti ſatis diſtinctè indicavit æger. Forte prope illum locum, in quo aureum nummum, ſcribit ultra biennium delituiſſe Philippus Hochſteterus. obſ. decad. VI. caſ. X.

CAPUT VIII.

Marcor ostreis sanatus.

MEdicus meticulosus, veritus, ob imbecillitatem, venam ferire Catharinæ Geriæ, acerbissimè ex latere dolenti, auxit tantopere febrem; utique inflammationem, in membranâ costas succingente, conceptam: ut ex retorridi sanguinis æstu, ipsa non secùs emarcuerit; ac si laborasset, immedicabili tabe. Quam etiam non obscurè videbantur designare, sputa ita frequentia, ac sordida: ut copiâ, capacem pelvim; & fœtore, spatiosum facilè replevissent conclave.

Re autem ipsius, jam planè desperatâ, & morbo, ultra quartum mensem, in ipsam sæviente; apparuit ipsi, quasi ex machina Deus, excitando, nescio quod, crudorum ostreorum desiderium. Quod eò quoque lubentiùs concessimus, quò minùs hactenus profuissent, potiones concinnatæ, ex humidis, ac frigidis herbis.

Quâ spe etiam minimè excidimus. Vix enim comederat cruda hæc ostrea, quin protinùs imminuerentur non tantùm calor, ac febris: sed etiam usque eò perniciosissimus hic morbus: ut brevi integrè convaluerit. Exstincto, ab algido, ac viscido ostreorum succo, pertinacissimo illo incendio: quo, procul dubio,

bio, conflagraſſet miſerrimè univerſum ipſius corpus.

Non temere itaque Celſus. Quos ratio non „ reſtituit, adjuvat temeritas. Neque certè in- „ conſideratè agere videtur, qui circumſpectè cedit naturæ inclinationibus: & obliquat prudenter ſinus, ubi non licet, rectum tenere curſum. Satiùs quippe eſt, anceps remedium experi- „ ri, quàm nullum. Dubia namque ſpes, cer- „ tâ deſperatione potior.

CAPUT IX.

Idem ſucceſſus, à ſolâ naturâ.

JOannes vander Wielen, Vir pleni habitus, procidens fortè in terram, licet non videretur, plurimum offendiſſe latus declive: incidit tamen poſt aliquot menſes, in inſignem ejus partis dolorem, cum tuſſi indefatigabili, febre intensâ, & ſputis adeo cruentis, ac fœtidis; ut nonnunquam anima defecerit; & obortum ſit inde, tantum ciborum faſtidium: ut exhauſtis viribus, & emaciato corpore, crederetur certò certiùs peſſum iturus.

Sed eâ fuit fortitudine, ut hæc incommoda fuerit ferendo, ultra quartum menſem: ſub cujus finem, enavigavit feliciter periculoſam hancce charybdin. In quam tamen, haud diu poſt, bis iterum incidit, ob latus, purulentis ſuccis, rurſus repletum. Quibus ſurſum pro-

rum-

rumpentibus, dici vix poteſt, quantus fœtor in ore, & quàm vehemens anguſtia fuerit, circa præcordia.

A quibus tamen ubi ipſum, poſt aliquot, menſium, curriculum, denuò vidimus, uſque eò aſſertum: ut potuerit iterum in publicum prodire; & libere obire, quæcunque, ſani hominis, officia: mirati certè non parùm fuimus, quî prodierint, ex thorace, jam ter, tot cruenta, ac ſordida ſputa, ſine inſequente tabe. Sed judicavimus fortè, non præter rationem: pus illud non delituiſſe in pulmonibus; ſed per eos duntaxat tranſiiſſe. Dolebat enim ſemper in latere ſiniſtro: à quo ubi ſecerneretur pus ſuperfluum: invenit fortè pulmonis viſcus adeò validum; ut potuerit illic tranſire ſine evidente labe, ullove ſanitatis diſpendio.

CAPUT X.

Vomica pulmonis.

VOmicam (teſte Galeno, lib. 1. de locis aff.) ut facilè concipit pulmo: viſcus flaccidum, ac putredini ſumme obnoxium: ſic conſpicitur illa, vix ullibi locorum, frequentiùs, quàm in noſtrâ Bataviâ. Sive ob alimenta humida; ſive ob aërem uliginoſum; vel loca, plerumque pluvia, ac irrigua.

Latet hoc vitium, inter initia, adeò clanculum: ut vix ulla ſui proferat indicia; præter tuſſicu-

ſiculam, primùm ſiccam, ſed mox humidam. Quâ aliquamdiu continuante, trahitur difficulter ſpiritus; deficit anima; & emarceſcit paullatim corpus: licet interim, nec pus, nec ſanguinem præ ſe ferant ſputa. Sed ſi rumpatur, nec opinanti, vomica: occiditur, dictum ac factum, homo. Vel ſi manſerit aliquamdiu exitio ſuo ſuperſtes: conſumitur tamen lentè, à febriculâ; ſive ob pus; ſive ob ſanguinem, per thoracis interiora, effuſum.

Eliæ Trippio, graviùs reſpiranti, & crebriùs tuſſienti, concidere tantopere vires: ſine ullâ, vel ſanguinis, vel puris excretione: ut nequiverit ampliùs in publicum prodire. Quo languore indies increſcente, diſrumpebatur tandem vomica: cujus reſeratio, proſtravit uſque eo, debile ipſius corpus: ut amiſſo omni colore, ac decore, compoſuerit ſe protinùs ad mortem: quam etiam haud diu poſt oppetiit: cum ſputis, non minùs cruentis, quàm fœtidis.

Quem tragicum eventum, etiam aliis à ſimili vomicâ, vidimus uſu veniſſe: ſed præcipuè præclaro Senatori, Petro Opmerio: cui adeò exitialis fuit, diſrupta thoracis vomica: ut intra biduum ipſum occiderint, cùm dolor eruptionem præcedens; tùm pus eam inſequens. Quæ duo, tam inopinato intervenere ipſi, febre continuâ laboranti: ut ſummoperè miraretur, inexſpectatum illum eventum.

Aſſerens religiosè, ſe nullas, inſidiantis vomi-

micæ, animadvertiſſe notas: nedum tuſſiculam, aut ullum, inceſſus ſui, incommodum Attamen ſe ſatis evidenter nunc videre: inexſpectatum illud pus, non heri atque hodie, ſed diu ante fuiſſe collectum: conſtare ſibi abundè, res, & eventus humanos, ſæpè latere in aliâ nocte. Et ut ferrum rubigo, ita abſconditas cauſſas, tectè nonnunquam conſumere homines, nihil ſequiùs cogitantes.

CAPUT XI.

Sputum ſanguinis, triginta annorum.

SPutum ſanguinis à pulmone, ut non perinde occidit, ſic neque inducit æquè celeriter tabem. Quæ enim alios decimo, illa ipſa invadit alios, anno demùm trigeſimo. Quocirca inconſideratè facit, quiſquis præproperè animum proſternit, ſanguinem exſpuentibus.

Pauci quidem evadunt, impendentem calamitatem: ſed differtur ſæpè tamdiu; ut nihil mortem magis maturet, quàm importunum præſagium. Non inconcinnè itaque Aretæus „ lib. II. cap. II. Sanguinis ἀναγωγὴν, ſive re„ jectionem, vel à principe viſcere, vel à venis „ majoribus, valdè lethalem eſſe: at à pulmo„ ne, non æquè citò interimere. Sed tandem deſinere, in ἐμπύημα, ſive veram phthiſin.

Pictor Rychius, obnoxius à puero, acri, ac ſalſæ deſtillationi: exſpuit plurimum ſanguinis,

an-

annos ampliùs triginta. In quibus tamen licuit ipſi, modò in Britanniam trajicere; modò verò in Hiſpaniam, ac Galliam iter facere. Sed reſerebatur tandem, tam latè, volatico homini dehiſcens vena: ut ne ſalus quidem ipſa, ipſum ſervaſſet.

Quod ipſum, validioris naturæ, robur licuit etiam videre, in genero ſenioris Berrovici, quem ſanguinis ſputum, utique non præcipitavit in tabem, niſi poſt annum demùm vigeſimum. Sed fuit illa, id temporis, ipſi adeò gravis: ut ſputa ori propinqua, non ſemel iterùm reciderint, in thoracis vacuum: per exeſos, ac conſumptos pulmones.

Procul dubiò, in ipſum diaphragma: ubi etiam percepit evidentem ponderis ſenſum. Quod certe grave, conſumpti pulmonis, vitium, equidem lubens coram conſpexiſſem: ſed deterruit, à ſectione, fœtor tabidus; noxius fortè non minus Medicis, quàm ipſis conſanguineis.

CAPUT XII.

Surculus, venæ arterioſæ, expectoratus.

FRanciſco Epiſcopio, Juveni macro, ac tereti, exedit acris, ac ſerinus humor, à capite deſtillans, non tantùm molle pulmonis viſcus: ſed etiam venas illi incluſas: à quibus ubi concitaretur frequens ſanguinis profluvium; eru-

pit tandem, præter omnem ſpem, ingens venæ arterioſæ ſurculus: adæquans, longitudine ſuâ, digitum auricularem.

Quâ inopinatâ excretione, adeò perterritus fuit hic Juvenis: ut metuerit inde mortem repentinam. Quæ tamen ipſi non intervenit niſi poſt anni curriculum. Exſolutâ enim brachii venâ, ſupprimebatur illicò ſanguis, ex pectore emanans. Et facto, hac ratione, medicinæ loco, adhibebantur tam feliciter remedia: ut potuerit iterum in Zelandiam proficiſci; & ubique locorum mercaturam exercere.

Sed exacto hoc anno, revolvebatur identidem, ex iiſdem deſtillationibus, in idem ſanguinis ſputum. Et ex illo in fœtidum pus, & tandem in exitiale pulmonis ulcus. A quo qui perit, is verè ſentit ſe perire. Nam ſi quæpiam, tabidorum certè mors, excarnificat homines, & lentè, & miſerandum in modum.


CAPUT XIII.

Integra vena, à pulmone, rejecta.

NAvarchus Amſtelredamenſis, qui diu in mari vixerat, contraxit ætate jam maturus, ex perenni deſtillatione, tuſſim magis terrâ, quàm mari moleſtam. Quâ, per biennium, flaccidos pulmones exagitante, defecit tandem vi-

Vas pulmonis expectoratum.


Tab. III.



viſcus hoc, plus nimio laceſſitum. Et effudit, ex inopinato, non tantùm ſanguinem, ſed præterea duos inſignes venarum ramos; adæquantes ſingulos expanſæ manus magnitudinem. Prodibant autem ſeparati, ab omni parenchymate: oſtendentes non minùs diſtinctè, extrema ſua lineamenta: ac ſi otioſus Anatomicus removiſſet, circumpoſiti viſceris, impedimentum.

Argumento certè evidenti, totum pulmonem fuiſſe vitiatum. Ac proinde haud mirum; excretis hiſce ſurculis, effudiſſe ipſum, ipſam cum ſanguine vitam. At verò mirabantur Medici, tantam parenchymatis diſſolutionem, ſine prævio pure. Quod ipſum fortè, non minùs quoque mirabuntur poſteri: licet nec viſuri, nec lecturi ſimile exemplum, in ullis Medicorum monumentis. Sed ut altiſſima flumina, minimo labuntur ſono; ſic eveniunt homini ſubindè, maxima infortunia; ſine turbulentis præſtigiis.

Divulſas autem haſce venas, ceu miraculum inauditum, equidem coram vidi publicè examinari, à Præceptore meo Petro Pawio planè eâdem formâ, quâ illas cælo ſuo expreſſit ſculptor: in eâ, quam huic operi attexui, tabellâ. Quam mihi dono dedit, Vir officioſus Egbertus Bodæus, qui ægro huic medicinam fecit, cum Viro, profundæ eruditionis, Sebaſtiano Egberto, Conſule Amſtelredamenſi.


vas alterum eiusdem hominis
Tab. III.

CAPUT XIV.

Frustum pulmonis fauces occludens.

MEdicus abundè eruditus, divexatus crebriùs, à tussi, articulorum dolòre, cibi fastidio, aliisque, destillantis pituitæ, incommodis, confugit tandem, quasi pertæsus molestiarum, ad antimonium, ceu sacram anchoram. Cujus usu, elicuit quidem pituitam ex ventriculo: sed offendit interim usque eò pulmones: ut dissolutâ ipsorum compage, eruperit ab ore, non tantùm frequens sanguis: verùm tam ingens pulmonis frustum: ut inde, dictum ac factum, obierit. Adæquabat quippe longitudine septem: ut latitudine digitos tres.

En! speciosam illorum artem, quibus nihil stibio familiarius: quàm facilè lædunt acria medicamenta: nisi dentur acri circumspectione? præsertim si viscera sint imbecillia: & vires effractæ, ab antecedentium morborum vehementiâ.

CAPUT XV.

Turunda ore rejecta.

NObilis Danus, vulneratus in bello Germanico, & negligentiùs à Chirurgo habitus, attraxit in thoracis vacuum, turundam plagæ


Tab. V
pars pulmonis expectorata,

plagæ impoſitam. Sed poſt menſem ſextum exſcreavit eandem iterùm per os. Sed quâ viâ, difficile dictu. Valuit tamen deinceps ſatis pancraticè: & ſuſtinuit ſatis animosè, quibus equidem in ipſo præfui, variolas.

Si ſapis, fuge hunc ſcopulum Chirurge. Et conſtringe potiùs filo linamenta; quæ immittes in lubricum pectoris vulnus. Quo reſiſtant potentiùs thoracis ſuctui: qui interdum tam validus eſt: ut per exilia, diaphragmatis foramina, attraxerit nonnunquam in ſe, non modò ventriculum: verùm etiam non exiguam, inteſtini coli, partem. Teſte Ambroſio Pareo. lib. IX. cap. XXX.

CAPUT XVI.

Hydrops Thoracis.

PUero trimo, ferebatur, ab humido capite, tam frequens deſtillatio in ſubjectos pulmones: ut præter tuſſim, ac febriculam, contraxerit inde ſummam ſpiritus difficultatem; profundum ſoporem; & tam frequens animi deliquium: ut tandem repentè migraverit è vita.

Quâ defunctus, obtulit Medicorum oculis, pectus aquâ refertum; & pulmones non tantùm flaccidos; ſed ſiniſtram cordis auriculam, variis ulceribus exeſam. A quorum eructante fœtore, defecit procul dubio, frequentius ipſi ani-

animus. Cujus deliquium etiam aliis, ex ſimili cauſſa, vidimus contigiſſe: ſed præcipuè cuidam furi, quem propterea, ceu puſillanimem vituperaverant, qui cum ipſo verſabantur, nebulones.

Sed viderint hìc eruditi. Utrùm non oporteat, ad inſenſilem horum ulcerum diſruptionem, referre repentinás illas mortes: de quibus loquitur Hippocrates, inquiens, qui exſol- „ vuntur ſæpè, ac vehementer, ſine evidenti cau „ ſâ, repentè moriuntur. lib. II. aph. XLI. „

CAPUT XVII.

Pulmo præciſus.

PEtro Antonio, infligebatur, prope urbem Brielam, ingens vulnus, ſub papillâ ſiniſtrâ. Sed eo, ob temulentiam flocci facto, neque imploratâ alicujus ope; erupit poſtridiè, ex hiantè vulnere, non exigua pulmonis pars: adæquans magnitudine ſuâ, tres tranſverſos digitos.

Quod grave infortunium, non permovit tamen hominem temerarium: plagam hanc cum curà habere. Sed contulit ſe nihilominùs, ſatis inconſiderate Amſtelredamum, bidui itinere, inde diſtans. Nec coërcens pendulam pulmonis partem faſciis; nec implens vulnus linamentis, uſque dum reficeretur, in noſtro valetudinario.

In

In quo illicò imperatum, emortuam pulmonis partem, filo priùs constrictam, forfice excidere: coalescente residuo lobo, in ipso vulnere. Cujus oræ coaluerant tam firmiter, intra diem quartum decimum: ut vix quicquam impedimenti manserit, præter levem tussiculam: interpolatis vicibus duntaxat molestam. Partem autem hanc lanci impositam vidimus pendere, circiter tres uncias. Grande mehercules pondus, in viscere tam raro, ac levi.

Creditum hactenùs, ut non servatur, cui pulmo medius vulneratur: ita utique vix restitui, qualemcunque ipsius plagam. Sed usus, qui omnium magistrorum superat præcepta, docet evidenter, nihil hìc trepidandum. Sed cautè decurrendam semitam, quam nobis præivere veteres. Præcide (inquit Celsus) quicquid ex jecinore, liene, aut pulmone extremo dependet. l. v. c. xxvi.

Sed quorsum retentus, præcisus pulmo, in coalescente vulnere? ne ex laceris, retractæ partis, venis, flueret frequens sanguis versus septum transversum: eoque in pus converso, sequeretur inde misera illa mors: quam suo more, id est, tectè innuit Hippocrates in coacis prænotionibus, asserens: vulneris thoraci inflicti, siquidem extima pars sanetur; interna verò nequaquam; suppurationis periculum esse.

At dicat quis? an non vulneris oræ, ample-

xæ pulmonis extremum impedivere evidenter liberum ipsius motum? excitaruntque propterea gravem spiritus difficultatem? sed respondeo, pulmonem paucis corporibus esse omnino liberum: sed plerumque agglutinari, vel huic, vel illi costæ; neque tamen propterea, evidenter lædi respirationem: nisi accreverit ubique locorum. Quod incommodum non semel videre theatra anatomica.

At huic homini (velut ostendit sectio, post sexennium ipsi adhibita) accreverat duntaxat pulmo, in ipsâ plagâ: quocirca etiam nihil percepit inde incommodi; præter levem tussiculam. Sed non ita molestam: quin potuerit, cum illâ, non tantùm quocunque locorum navigare: verùm etiam continenter popinis, ac comessationibus interesse, homo dissolutissimæ vitæ.

CAPUT XVIII.

Vulnus Cordis.

SCirè sedulus quorumcunque eventuum observator Galenus, lib. v. de loc. aff c. 1. cordis vulnus in aliquem ventriculorum, jugulat „ celeriter hominem Præsertim si lædatur sini- „ ster. At vir eximius, ac nobis notissimus, Nicolaus Mullerus, vidit cum plagâ ventriculi dextri, vitam cuidam prorogari, sine internecione, ultra diem quintum decimum.

Quod

Quod tamen miraculo, quàm vero propius videretur; nisi viri integerrimi auctoritatem confirmaret testimonium publicum, insertum operibus chirurgicis, Danielis Sennerti lib. v. part. iv. cap. iii. Sed nobis suffecerit, in medium, intemeratâ fide, produxisse exemplum, cujusdam occisi, qui biduum vixit, post evidens vulnus, inflictum cordi, diaphragmati, ventriculo, ac jecinori.

Extra portam Antonianam, ivêre nobiscum, plurimi Medici; spectatum cadaver cujusdam hominis, interempti à duobus vulneribus: penetrante altero, per hepar, ac ventriculum in septum transversum: altero verò per membranas mediastinas, & involucrum cordis, in profundissimum dextri ventriculi recessum. Cum tam effusâ sanguinis copiâ: ut illi undiquaque innataret nobilissimum hoc viscus: quod tamen fuit adeò validum: ut extenderit huic homini vitam, usque in finem diei secundi.

CAPUT XIX.

Cordis palpitatio, à liene.

CORdis palpitatio, non unam ut agnoscit causam: sic fit quoque vel à vulvæ, vel à lienis vitio. Quarum partium vapores, turbant nonnunquam tam potenter cor: ut exsuscitâ vi suâ pulsificâ, nihil non moliatur, quò expellat

pellat fuligines sibi summè inimicas. Quam reciprocam, acceleratorum ictuum, frequentiam, palpitationem vocant Medici. Cujus licet variæ sint caussæ, fit tamen illa, quam producit lien, potissimùm ex præassatâ atrâ bile: cujus vapor, inducit vehementissimum hunc morbum; uti clarè docet, Vir jure magnus, Victor Trincavellius. lib VI. part. aff. cap. XII.

Adriano Roelstio, præfecto marino, excitabat induratus lien, tam algidum, malæ sinistræ torporem: ut nullis remediis potuerit calor, iterùm in cutem evocari. Unde paullatim obsideri cor: & à tetro, malignæ bilis, halitu, tam frequentes produci palpitationes: ut æger tandem inciderit, in lethalem gangrænam.

Sed vix accessere unquam palpitationes; quin triduo antè potuerit illas præsagire: ex crudo ac tenui, quod id temporis reddebatur, lotio. Non secùs, atque Hippocrates, ex pellucidâ, ac albâ urinâ urgens phrenitidis periculum: ob bilem, uti interpretatus Galenus, sursum raptam. lib. IV. aph. LXXII.

CAPUT XX.

Ira puerperis noxia.

IRa, quæ nonnullis furor brevis est; illa præcipitat alios, in perniciosam paralysin. Præcipuè verò, puerperas ac senes: è quorum imbe-

imbecilli cerebro, deſtillat facilè humor: ab ebulliente bile, proximâ iracundiæ cauſsâ, non tàm diſſolutus, quàm propulſus in principium ſpinalis medullæ. Ex cujus impedimento, vel reſolvuntur omnes; vel ſaltem alterutrius lateris nervi.

Intempeſtiva iracundia, conjecit uxorem Solimani, protinùs à partu, in paralyſin lateris ſiniſtri. Quâ utcunque devictâ, obſidebatur illicò latus oppoſitum Sed eo utique convaleſcente, non recuperaverat tamen ipſa priſtinam ſanitatem; ſed luctata fuit deinceps, toto vitæ ſuæ tempore, cum adversâ valetudine.

Sed maximè, cum foret imprægnata. Quo tempore adfligebatur, non modò, a moleſtâ ventriculi anorexiâ: verùm à tam pertinaci ciborum faſtidio: ut nihil omnino, id temporis comederet. Quæ inuſitata inedia, adeò non conſumpſit, ſed auxit plurimùm ventriculi pituitam: exſuſcitando ex illa, inſignem picam, priori abſtinentiæ planè contrariam.

Cujus aculeo, indigus ventriculus, indeſinenter ſtimulatus, appetiit avidiſſimè nihil, præter acetaria cruda; ac rhombos Rigenſes, in ſale àc fumo induratos. Quod rude, ac indigeſtum cibariorum genus adpetiit utique non minùs inſatiabiliter, quàm concoxit ſalubriter: non aliquot diebus, ſed integris ſex menſibus.

At hujus alimenti, paullò poſt, itidem pertæſa,

tæſa, abſtinuit deinde obſtinatè ab omni cibo. Sed quem reſpuit domi ſuæ faſtidiosè, illum ipſum admiſit, lubentiſſimè, apud amicos: quibuſcum, propterea vixit ſatis pancraticè. Sed domum ubi reverteretur, revolvebatur illicò, in eandem, qualiumcunque ciborum, abſtinentiam.

Quâ aliquamdiu continuante, acquiſivit ſanguis ipſius, præſertim circa vulvam ſtabulans, tam acrem ſalſedinem: ut inciderit inde in immodicum menſtruorum profluvium. Cum febre, delirio, aphthis, ſingultu, aliiſque aduſti, ac incenſi corporis affectibus; à quibus tandem inſurrexere terribiles, morbi comitialis, inſultus, ita certè graves: ut brevi amiſerit vitæ ſuæ uſuram.

CAPUT XXI.

Vomitus bilis atræ.

ADpoſitè ex Hippocrate, Cornelius Celſus, & is conſumitur, cui protinùs in re-„ centi morbo, bilis atra, vel infrà, vel ſuprà,„ ſeſe oſtendit. Cujus effati veritatem demon-„ ſtrat, non quælibet, ſucci melancholici, excretio: utpote quæ interdum ex uſu eſt. Sed potiſſimùm illa bilis atra: quam produxere, vel lienis atonia, ventriculi intemperies, vel inteſtina, ſive inflammata, ſive ſyderata. Quæ autem à diſſoluto lienis tono, illa præſagit len-

tam: uti quæ ab inflammato inteſtino, citam mortem.

Aurifabrum Brabantinum, diu divexatum, à præcordiorum anguſtiâ, pancreatis obſtructione, liene indurato, & noviſſimè, ab efferâ, atræ bilis, ebullitione; invaſit tandem tam impetuoſa, ejuſdem bilis ſuprà, infràque excretio; ut dejectis inde viribus, cogeretur, ante menſem ſecundum, vitam cum morte commutare.

Effluebat autem hæc bilis, per utramque viam, tam effusè: ut omnes miraremur, hinc ejus copiam; illinc verò vires, tanto profluvio pares. Erant quippe dejectiones hæ, ſine ullâ fermè intermiſſione: & ita nigræ; ut atro ſanguini, ac lutoſo paludis cœno, forent ſimillimæ. Quibus tamen indeſinenter, ut fluctus fluctum, ſeſe trudentibus: exceſſit tandem æger, haud invitus, è vitâ.

CAPUT XXII.

Vomitus octodecim menſium.

VIrgo nobilis, evomuit, ob ſimile ſplenis vitium, ultra decem menſes, non tantùm atra: verùm etiam qualiacunque cibaria. Attamen ſine evidenti virium jacturâ. Cujus rei cauſa, procul dubio, fuit, quòd cottidiè aliquid chyli remanſerit in ventriculo: quo deinceps, in ſanguinem, ac alimentalem ſuccum converſo:

verſo: fovebantur uſque eo corporis vires: ut tamdiu ſuſtinuerint perennem hunc vomitum.

Quam conjecturam confirmarunt perſpicuè, cùm formata alvi excreta, veræ, retenti chyli, reliquiæ: tum chyloſus ille vomitus, qui ante menſem decimun octavum, integrè conſumpſit, quicquid à priore nutricatu, corpori ſupererat. Sicuti enim exſtirpantur olera, ab radice, exciſa: ſic perit homo, genio ſuo defraudatus.

Quod profectò clariſſimè apparuit in hac virgine: cujus corpus nutricatu ſuo deſtitutum, vidimus protinùs incidiſſe, in febrem continuam, morbum comitialem, aphoniam, profuſa menſtrua, aliaque tot, ac tam vehementia, ſanitatis turbamenta: ut ne robuſtiſſimus quidem athleta, illis omnibus fuiſſet par.

CAPUT XXIII.

Vomitus pituitæ concretæ.

JUvenis octodecim annorum, conqueſtus aliquamdiu, de inſigni ventriculi dolore; evomuit tandem ingens concretæ pituitæ fruſtum: longum quatuor, at latum digitos duos, intùs albicans inſtar caſei recentis: at foris obductum tenui involucro Qui mole excretâ, rediit illico ad ſe, expers non modò doloris, ſed pronus

iterum in cibum; quem hactenùs ſummoperè faſtidiverat.

Similes autem maſſas jam tertiùm vidi excretas: & quamvis crediderim, conglomerationem hanc vel à caſeo, vel uberiore lactis uſu originem ducere: affirmarunt tamen omnes, ſe ab utroque alimento perinde abhorruiſſe. Ac proinde neceſſe erit, cauſſam ipſius ſtatuere, lentam, ac viſcidam pituitam, ſenſim in ventriculo, concretam. Quam ſiquidem lubet auferre, utendum, vel oxymelite ſcyllitico; vel aquâ deſtillatâ, ex centaurio minore, jam ad putredinem redacto. Quo liquore, non inciditur tantùm: ſed expellitur potenter, quicquid ventriculo negotium parit.

CAPUT XXIV.

Prægnans, edens mille quadringentos haleces.

MUlier Daventrienſis, imprægnata delectabatur tam impensè halecibus ſalitis: ut ante partum comederit, mille, ac quadringentos. Attamen ſine ventriculi offensâ, ullove ſanitatis diſpendio. Fuit tamen ipſa bis noxia; in ſe, ac in infantem. In ſe, quòd nequiverit infrenare, immodicum hoc ſalſamentorum deſiderium. In Infantem verò, quòd ipſius appetitum mancipaverit, adeò ſtrictè, huic ſervituti: ut, cùm necdum poſſet verbis, ex-

expetierit tamen ejulatu, haleces: quibus se tam effusè dederat mater; plus æquo, sibi indulgens.

Estur autem hic pisciculus, vel crudus, vel ignem expertus. Si modò crudum sit, quod sal ritè coxit. Quippe lege, apud nos, cautum est: ne quis salsamenta hæc venum exponat, ante decimum à saliturâ diem. Eatenùs enim creduntur esui inepta: sed elapso hoc circuitu, judicantur salubria; utpote adepta jam à sale, illam, cum coloris mutationem, tum saporis maturitatem: quam requirit publica censura.

Atqui certè, si lubet, halecum naturam propiùs intueri, videbis eos, inducere quidem sitim, sed nunquam cruditatem, nisi ultra satietatem adsumptos. Debitè namque saliti, & opportunè dati, adeò non nocent, ut etiam summè prosint supino stomacho: juvando coctionem, detergendo pituitam, movendo alvum, & restituendo homini, amissum cibi desiderium.

Ac proinde non vanè nostrates, ut à sole nebulas; sic ab halecibus dissipari morbos. Imò nunquam magis sterilem esse Medicorum messem, quàm sub horum adventum. Unde fortè obtinuit, inveteratus ille mos, excipiendi hunc annuum sospitatorem, non tam obviis ulnis, quàm coronis viridibus, per compita, in quibus vel estur, vel venum exponitur, passim suspensis.

CAPUT XXV.

Calculus Arterialis.

CAlculum, ubivis locorum, in homine reperiri, certum eſt. Vidit eum ex vulvâ erumpere Hippocrates; ex pulmone Galenus; à capite Hollerius; ab inteſtinis Trincavellius; ex liene, ac fellis veſiculâ, ut alii; ſic nos ex linguâ, ac colli glandulis. Sed calculum in arteriis qui invenerit, equidem hactenùs inveni neminem: ac proinde operæ pretium facturus videor, ſiquidem ejus exemplum, ut inauditum, attamen veriſſimum, huic operi inſeruero.

Johannes Arminius, Pharmacopolæ miniſter, ob adverſam valetudinem, frequentibus medicamentis, à puero, magis imbutus, quam adjutus; devenit tandem, in tam vehementem cordis palpitationem, & irrequietum, agitati viſceris, impetum: ut verberantis ictus, diſtinctè nonnunquam audirentur, præ foribus conclavis, in quo, id temporis, decumbebat.

Quibus acceſsêre, frequens animi deliquium; præcordiorum anguſtia; ſpiritus difficultas; pulſus intermittens; urina nunc flava, modò nigra, modò cruenta, vel muco, aut arenulis perfuſa. Sed ulteriùs proſerpente morbo, incidit quoque in anorexiam ventriculi;

Calculus arteriæ aortæ

Tab. VI.



calculus ureterem obstruens. in fratre ilius. cui arteria fuit calculosa.



e. apex calculi
ffff. corpus calculi.

a. a. a. a. caput calculi protuberans extra arteriam
b. b. collum a divisâ arteriâ cinctum
d d d. pars arteriæ inclusâ

culi; cum crebro vomitu, jecinore indurato, abdomine intenſo; cruribus tumidis; & tantâ aquæ copiâ: ut neceſſe habuerit, ultimum obire diem.

Quorum ſymptomatum ergo, ubi diſſecaretur cadaver; interfuêre præter reliquos, Augerius Clutius, inclutus Botanicus: & Juſtus Copyrius, tum Medicus, ſed poſtmodùm Sacerdos. Erat autem omentum putridum, ac cruentum: ſed jecur magnum, & plurimâ pituitâ refertum. At reliqua viſcera ita parva: ut lien vix dimidiatam manum: ventriculus vix inteſtini jejuni: & veſicula fellis vix articuli digiti adæquaret magnitudinem.

Veſica urinaria erat admodùm corrugata, &, præ torrido æſtu, planè nigra. In pancreate verò omnia dura, at in pulmone nihil non aridum, ac maculoſum; cor contrà magnum, ac amplum; ſed ſine pericardio, ullove, vel minimo, ipſius veſtigio. Inteſtina verò innatabant aquis: ut pulmo bili flavæ.

In rene dextro, latitabant plures calculi: partim rubri, partim nigri: quos inter, unus cæteris major, obthurabat integrè ureteris principium. At prope renem ſiniſtrum, dedit ſe nobis in conſpectum, inauditum illud calculi genus: quod à loco, cui inhæſit, lubet vocare arteriale.

Inſidebat quippe firmiter illi, arteriæ aortæ, ramo, qui vergit ad glandulam Euſtachii, ſiniſtro

nistro reni impositam. Disruperat autem caput ipsius (ita appellamus, rotundam illam excrescentiam, quæ cum angustiore collo, haud malè refert, caput implumis pipionis) arteriæ tunicam: latitante reliquo corpore, in dilatatâ ipsius fistulâ. Sed ita, ut vulneris oræ minimè hiarent: verùm contraherentur, tam arctè, circa ipsiùs collum; ut vix guttula sanguinis potuerit illinc effluere.

At vero, protuberans hæc pars, quam caput vocamus, ut reliquo calculi corpore fuit durior: sic discrepavit quoque parùm à silice. Sed quod delituit in arteriâ, erat mollius: foris quidem, ob adustam, melancholici succi, miscelam, nigrum: sed intus albicans, ac concretæ pituitæ simile. At capitis color fuit ex flavo cinereus: adinstar lapidis bezoar, ex occidentali Indiâ delati. Totus autem lapis referebat ad amussim, implumem aviculam: sed lanci impositus ponderabat drachmas duas.

CAPUT XXVI.

Fibræ Jecinoris vulneratæ.

CRedidit Cornelius Celsus, servari non„ posse, cui jecinoris portæ percussæ: uti-„ que vix ad sanitatem pervenire, cui crassum e-„ jusdem visceris vulneratur: sed plagam minus„ exitialem, ubi mucro non descendit ad gran-„ des venas. Ex minoribus quippe effunditur,„

minus ſanguinis: attamen, licet tardiùs, occidit tamen ipſarum vulnus hominem.

Facilè namque effluit, ex parte declivi, plus ſanguinis: & diſſipatur impenſiùs calor, jecinori neceſſarius: quàm ferendo ſit, ſine evidenti incommodo, calida ſanguinis officina. Ac proinde non de nihilo eſt, quod Galenus (diligens aliàs obſervator) nullibi locorum aſſerat, abſciſſam jecinoris fibram, fuiſſe ſanatam. Niſi fortè in commentario, in aph. XVIII. lib. VI. Sed refert illic aliorum duntaxat animadverſiones, quibus etiam manifeſtè fidem derogat.

Lictor imperterritus, injecturus vincula audaciſſimo cuidam nebuloni, ictus fuit bipenni, in infimâ jecinoris fibrâ. Cujus exſtillans ſanguis, in pus converſus, conjecit ipſum in lentam febriculam: utique tam vehementem univerſi corporis marcorem; ut conficeretur, ante diem quadrageſimum.

Quo cadavere, juſſu prætoris, deinceps diſſecto, invenimus ſub vulneratâ fibrâ, plurimum, graveolentis puris, collectum. Ex cujus fœtore, inſurrexit, procul dubio, quæ ipſum conſumpſit, febris. Planè adinſtar eorum, quos peſſundat lenta tabes.

CAPUT XXVII.

Pus Jecinoris, per os, ac alvum.

JUvenis, ductâ recens uxore, doluit acerbè, ex inflammato jecinore: sed ignarus malum hoc indigere celeri sanguinis detractione, distulit eam tamdiu, usque dum inflammatio converteretur in pus: quod primùm quidem excrevit per alvum: sed sub finem morbi, æquè liberaliter per os.

A quo, quantumvis licet satageret ars, obnixè arcere fœdam hanc illuviem, lusit tamen operam: nequivitque ægrum asserere, à periculo, quod ipsum haud diu pòst, miserrimè, pessumdedit. Sed quærat quis, quâ viâ iverit, ab intestinis ad os? annon per venam cavam? cujus propagines, ut jecinoris vitia communicant intestinis: sic verisimile est, easdem, ejusdem visceris pus, transtulisse utique in pulmones; & per illos, in ipsum os; meliori certè usui, à providâ naturâ, destinatum. Vide Galenum. lib. VI. loc. aff. cap. IV.

CAPUT XXVIII.

Lien verberans.

NIhil in arte medicâ notius, quàm lienem subinde pulsare, seu potiùs concitatas ipsius arterias. Sed ipsum hoc viscus, costas tam vali-

validè ferire: ut vapulantium ſonitus è longinquo audiatur, id certè novum, & fortè hactenùs inauditum.

Nicolao Fabro, viro induſtrio, ſed ab atrâ bile frequentiùs afflicto, fecit nonnunquam induratus lien, tam vehementem impetum, in coſtas circumpoſitas; ut ex urgentiore illo alliſu, non modo doleret ipſus: verùm verberum ſonitum, perſpicuè exaudirent, etiam longiſſimè, ab ipſo remoti. Et quidem tam diſtinctè, ut numeraverint non ſemel ſingula verbera: & admotâ manu etiam coràm tetigerint, quoſcunque, ferientis lienis, ictus.

Quorum reciprocum ſonitum, equidem memini, cum Henrico Salio, Medico Ultrajectino, ſatis diſtinctè audiviſſe, licet id temporis ab ipſo receſſiſſemus, ultra triginta pedes. Sed prout vel uberiùs, vel parciùs redundaret bilis atra; pro eo etiam, vel intendebatur, vel remittebat horum ictuum vehementia. Adeò ut, evacuato convenienter corpore, nonnunquam integre ceſſarent hæc verbera: ſed eo rurſus impuro, increvere identidem uſque eò; ut cogeretur aliquoties implorare opem medicam, antequam liberaretur, à vitio, alias ineluctabili.

In cujus naturam equidem lubenter inquiſiviſſem, niſi cadaver denegaſſet defuncti vidua: cogens, quò non licuit oculi, eò ſaltem ingenii penetrare acie. Excitati itaque fuere hi ictus,

cùm

cùm à motu atræ bilis: tùm à ſpiritu, ſanguini arterioſo incluſo. Quæ duo acquiſivere tantum virium; ob prohibitam tranſpirationem; & adſtrictam, arteriarum ſplenicarum, obſtructionem: ut potuerint non modò elevare, ſed movere ſatis commode grave, ac induratum lienis corpus.

Virtus quippe unita multum poteſt. Exemplo ſint, tonitru, tormenta bellica, caſtaneæ carbonibus impoſitæ. In quibus luce clariùs apparet, quid valeat ſpiritus incluſus; & quam vim producat materia, à calore rarefacta. Calor namque generat motum: eumque tantò potentiorem, quantò ipſus coërcetur anguſtiùs. Sicuti id videre eſt, in flammâ, quæ ob calorem perpetim movetur. Neque minùs in liquore fervente arctè alicubi incluſo; à cujus motu contremiſcit evidenter lebes, in quo ebullit.

At verò, ut caloris eſt, materiam, in quam agit, ita attenuare; ut requirat ampliorem locum, niſi impediatur. Sic dilatat in nobis omnia ſpiritus; niſi obſtiterit circumpoſiti corporis denſitas. A qua repercuſſus ſpiritus, ubi ſe non diffundit latiùs, reſilit neceſſariò (uti in prohibitâ flammâ conſpicuum), & excitans motum reciprocum, concutit valido iſto recurſu, quicquid adnititur prohibere naturalem ipſius expanſionem. Quali certè motus genere, credibile eſt, concitatum fuiſſe hujus ægri lienem,

nem. Viſcus aliàs in homine, ſuâpte naturâ, immobile, ac quietum.

Sed unde reciprocus ictuum ordo? annon à motu cordis? cujus ſyſtole ac diaſtole, ut corpori univerſo: ſic communicantur potiſſimùm illis arteriis: quæ circa lienem adeò ſunt frequentes; ut Adrianus Spigelius, diligens mehercules Anatomicus; non temerè dixerit, illas illic quadruplo plures eſſe, quàm venas. Fabric. human. lib. VIII. cap. XIII.

Sed quid produxit ſonum? nonne dura lienis compages? durum namque renititur. Dum mollia, ut duæ ſpongiæ, nullum edant ſonitum. Siquidem itaque ſonorus fuerit lien; induruit neceſſariò extima ipſius ſuperficies: ejuſque denſitate coëgit ſpiritum in arctum: & per reciprocum ipſius motum, fuit procul dubio elevatus, ac coſtis alliſus, cartilaginoſus lienis ambitus. Excitans, agitatione hac, illum ſonum, quem, juxta mecum, audivere quam plurimi.

Extimum autem lienis, licet nequaquam licuerit hìc videre induratum; vidimus tamen id, haud diu poſt, in eunucho quodam, tam denſa, ac dura cartilagine incruſtatum: ut inde adimeretur inſtar craſſioris alicujus corticis. Qualem, cartilaginoſi lienis, conditionem utique delineavit nobis Vir ſagaciſſimus, Realdus Columbus. lib. XV.

CAPUT XXIX.

Lien disruptus.

QUàm incertus Medicis, verus lienis usus; tàm certum ipsis vulnerati periculum: maximè si acies penetret ad majores arterias. Sed quis vidit unquam, molle hocce lienis viscus, medium diffindi, ab ictu foris illato? Videtur certè simile quid literis consignasse Hieronymus ab Aquapendente, de empyrico quodam, percutiente malleo suo, tam vehementer, indurati lienis scirrhum: ut ipsius rimas, & æger vapulans ageret animam. lib. operat. chirurg. cap. LII.

Sed loquitur Aquapendens, de liene indurato: cùm nostra exempla, in medium adductura, sint lienes verè molles. Quantò autem fragilius durum molli: tantò utique rarius erit, observare fissuram, in liene leni, quàm duro.

Inter ludicra puerilia, ictus fuit scipione, in regione lienis, Juvenis quatuordecim annorum; cum insigni dolore, ac tam frequenti animi deliquio: ut postridie ejus diei, vitam cum morte commutaverit; licet foris nullum conspiceretur vulnus. Quo etiam caruit textor ille, quem à simili ictu, inopinatè vidit occisum Oudekerka, pagus mille passuum ab Amstelredamo distans.

Vidi-

Vidimus autem in utroque cadavere, lienem ut mollem; ſic in gibbâ parte, in quâ tamen ictum exceperat, illæſum; ut in cavâ contrà evidenter fiſſum, vel potiùs amplâ rimâ tantum dilaceratum: ut in illa, facilè duos occultaſſes digitos. Mirabantur certè quàm plurimi, cur rimas egerit, & non potiùs ceſſerit ictui, molle, ac pendulum hoc viſcus. Sed quid non læderet penetrans baculi vis? imò quid reſiſteret perniciſſimo impetui? quem tam valide adegit verberans manus: ut ne ipſus quidem aër, innoxiè ſuſtinuiſſet, tam ſubitam ipſius vehementiam.

CAPUT XXX.

Magnus lien.

MAgno lieni, os graveolens, putridas gingivas, ſanguinis eruptionem, ac cruris ulcera, attribuit paſſim prior ætas. Ac proinde credidere nonnulli, hoc nomine aſſiduè ſignari, vel ſtomacacem Plinii: vel ſcorbutum noſtratum. Sed diſtinguunt perperàm, inter morbum auctæ magnitudinis, & ulcus, ſeu partem à putredine vitiatam.

Utroque enim vitio laborat lien. Sed ſigna, à veteribus commemorata, indicant magis putredinem, quam magnitudinem auctam. Atra quippe bile, circa lienem putreſcente, vitiatur non tantùm os: ſed erumpunt utique varices: &

& læduntur tantoperè crura; ut meminerim vidiſſe, in anu quartanariâ, à putridâ hac bile, ultra viginti ulcera: non minùs profundè cruribus impreſſa, ac ſi candens ea inuſſiſſet ferrum.

Infans concionatoris pagani, malè habitus à nutrice, & loco lactis, altus graviore cibo, quàm tenella ætas fuit ferendo; collegit inde, plurimum lenti, ac viſcidi ſucci; infarcientis uſque eò anguſtas, meſenterii, pancreatis, ac lienis venas; ut inde viſcus illud ſummoperè intumeſcens, diſtenderit non tantùm abdomen ac lumbos: ſed emaciaverit etiam corpus univerſum; adinſtar rapacis alicujus fiſci, plus nimio ditati, ex immodicis, tributorum, exactionibus.

Verùm ſublatâ obſtructione, & imminutâ uberioris ſucci copiâ, decrevit tam manifeſtè diſtentum hocce viſcus: ut luce clarius apparuerit; tumorem hunc non tam fuiſſe, a malâ conformatione, quàm à redundante alimento. Quo proinde ſubducto, renutriebatur iterum infans. Neque apparuere interim unquam illa ſigna, quæ magno lieni attribuit Hippocrates. lib. 11. prædict.

CAPUT XXXI.

Sanguis cutem transſudans.

VIrgini annoſæ, ſed ſummè melancholicæ, ob induratum lienem, emolliens ceratum

impositum, elicuit tantum sanguinis, per exilia cutis foramina: ut necesse fuerit, cum viro erudito, Arnoldo Tholingio, impetum ipsius seriò compescere: cùm per ea, quæ exstinguunt fervorem atræ bilis: tùm per inspissantia cutem Quibus certè subsidiis, nisi maturè obviam itum fuisset currenti sanguini: miserè certè pessum ivisset, quam jam fermè consumpserat carcinoma mammas exulcerans.

CAPUT XXXII.

Steatoma mesenterii.

AQuam intercutem, imprimis quidem jecinori acceptum ferunt Medici: sed deinceps non minùs & illis partibus, à quibus tantoperè læditur, nobilis hæc sanguinis officina: ut loco alimentalis succi, nihil proferat, præter iners, ac inutile serum. Quam sane labem, potissimùm illi adspergunt, pulmo, splen, mesenterium, vulva, testes muliebres, aliaque viscera, præsertim ulceribus infecta.

Equidem, ut alia silentio nunc involvam, memini à solo mesenterii ulcere, jam quinquies hunc morbum, mihi visum. Sed fit interdum quoque, ab ejusdem partis steatomate, sine ulcere, ex solâ, luxuriantium glandularum, protuberantiâ; plerumque cum aquâ, sed interdum quoque, licet rarissimè, sine illâ.

Filio

Filio Calandrini, excrevit abdomen, intra biennium, in eam molem: ut crederetur firmiter laborare aquâ inter cutem. Sed sectio, cadaveri deinceps adhibita, invenit tamen illic nihil liquoris; verùm ingens solummodò steatoma: quod ex mesenterii glandulis, excrescens, devenerat in eam magnitudinem: ut bilanci impositum, ponderaret ultra libras octodecim.

Jecinore interim, liene, ac ventriculo integris, ac illæsis. Sed pancreas erat pingue, ac ponderosum Et alterutrum latus, rene suo destitutum, cujus vicem cùm gereret mesenterium: effusum fuit illuc tantum liquoris, ut glandulæ ipsius, à redundante illo sero, plus æquo intumescentes, repleverint tandem ventrem universum; sed sine ullis, collectæ aquæ, notis.

CAPUT XXXIII.

Steatoma, cum ulcere, & aquâ.

SImilem propemodùm rerum faciem, exhibuit utique aliquando nobis, abdomen cujusdam virginis, distentum gemino tumore. Quem rudes, ac inscitæ obstetrices, cùm attribuerent vulvæ, accusarunt insontem impudicitiæ: confisæ gemellos ab ipsa gestari. Sed calumniam hanc dissipavit Anatome, post instituta.

Utpote, quæ nec fœtum, nec gemellos in utero, ſed in meſenterio, duo duntaxat invenerit ſteatomata: quorum alterum erat impu-tre; alterum verò à pure ita vitiatum, ut effuderit non tantùm, plurimum ſanici, & aquæ in abdominis vacuum: ſed exederit præterea, uſque eò, uteri fundum, ut non fuiſſet recipiendo fœtui.

CAPUT XXXIV.

Hydrops à veſiculis meſenterii.

QUam verò aquam, prioribus ægris induxere ſteatomata meſenterii: illam ipſam, in ſequenti muliere, excitarunt, innumeræ, ejuſdem partis, aquoſæ puſtulæ. Quas elegantiſſimè licet deſcripſerit, Vir ingenioſus Aretæus Cappadox; fatetur tamen ingenuè, ſe ignorare genuinam earundem vel originem, vel cauſſam. l. 11. de ſign. diut. morb. cap. 1.

Filia, celebris cujuſdam pharmacopolæ, diſſecta poſt obitum, ob aquam intercutem, oſtendit in meſenterio ſuo, inſignem tumorem, ponderantem libras viginti Tectum quidem extrinſecùs membraneo involucro; ſed intus refertum pluribus veſiculis, lympidâ aquâ diſtentis.

Increvit autem hæc moles tam lentè: ut moverit ſuſpicionem prægnationis. Sed elapſo partus tempore, conflixit deinceps integrum trien-

triennium, cum miſerrimâ hydropis ſpecie: adeò ut vix unquam ſpiritum liberè traxerit: ſive ob copiam aquæ; ſive ob jecur diaphragmati, non ſolùm oneroſum; ſed firmiter accretum.

Plurima quidem nobiſcum molitus fuit, in contumaciſſimo hoc morbo, Franciſcus Vicquius, ob longa itinera, ac diutina ſtudia, in Medicinâ abundè exercitatus. Verùm ut Gubernator, non ſemper ſuperat quamcunque tempeſtatis vim: ita neque Medicus, morbum immedicabilem.

Quem in numerum ſanè, aliquis non immeritò retulerit, hanc, de quâ loquimur, aquam intercutem. Ruptis quippe nonnullis hydatidibus, manent tamen plurimæ illæſæ. Quibus utique à ſcalpello, ventrem perforante, pertuſis, latitant nihilominùs & aliæ, foturæ continenter, perennem, inextricabilis hydropis, cauſſam.

CAPUT XXXV.

Tympanites cum aſcite.

CReber ſpiritus, cum aquâ, ubi diſtenderent abdomen Matthæi Antonii; τυμπανίτης vocatur Græcis; ſategit ipſe, pro virili parte, corrigere alliatis, illam intemperiem, vel potiùs imbecillitatem, quæ ponitur mali cauſa. Sed accendit illis uſque eò lienem obſtructum:

utique bilem atram (quâ redundabat), per ſe ſatis turgidam: ut per reſeratas, ventriculi, ac lienis venas, eruperit ipſi, ſuprà, infràque, tam frequens cruor: ut, dictum ac factum, perſum iviſſet; niſi impetum illius illicò frenaſſent, cùm ſanguis maturè miſſus; tùm pulvis coraliorum, aliaque inſpiſſantia, actutùm potui data.

Quorum ope ſuperavit quidem tempeſtatem, ab allio improvidè excitatam: ſed nequaquam imbecillitatem viſcerum; nedum ſpiritum, vel aquam, cujus tympanites nunquam eſt expers. Factâ autem poſt mortem ſecandi copiâ: vidimus perſpicuè, quàm inconſideratè dentur ſæpenumerò hydropicis alliata, aliave potentiora vina. Intumuerat quippe lien; exaruerat jecur retorridum; inteſtina erant ſyderata; ren putridus; & in ventre, ultra triginta aquæ libræ

Memini aliquandò in ſimili hydrope, non diſſimilem ſtoliditatem vidiſſe, in quodam empyrico: qui, neſcio cujus imbecillitatis ergò, conſuluit, cujuſdam ſenatoris viduæ, continuum uſum vini malvatici: ſed quò gratior foret mulieri locupleti, aſſidua illius adſumptio; replevit ſcutellam tam frequentibus auri bracteolis: ut judicaſſes te alicujus Midæ videre potum. Sed inflammavit hoc vinum utique, uſque adeò viſcera: ut os, non modò repleretur aphthis; ſed ignoraret ipſa, præ ſiccitate, quo

ſe

se verteret: donec miseriæ finem invenerit, magis Mors, quam Medicus.

CAPUT XXXVI.

Morbus regius, cum hydrope

AT mentio retorridi hujus jecinoris, suggerit exemplum cujusdam mulieris, dissectæ in valetudinario publico, coram insigni Poëta Samuele Costero, ejusdem loci Medico. In cujus cadavere, invenimus jecur aridum, atrum, exsuccum; &, instar corrugati corii, ita in se contractum: ut vix æquaret geminum pugnum.

Quo jecinore, novaculâ, inciso, excernebatur inde adusta, ac fæculenta amurca: similior atramento nigerrimo, quam rubicundo sanguini. At loca vicina tingebantur bile flavâ (laboraverat quippe hydrope, cum morbo regio). Sed cutis, & musculi, imò omnia abdominis viscera, fuere usque eò, à bilis colore, & aquæ madore immutata: ut nihil sani in ipsis apparuerit.

Quæsivimus quidem in deformi, ac torrefacto hoc jecinore, satis curiosè, rimas illas, quas celeberrimus Medicus, Joannes Fernelius credidit nonnunquam apparere, in hydropicorum hepate: lib. VI. partic. morb. cap. VIII. sed quæsitas nequaquam invenimus. Licet viscus hoc fuerit tam siccum: ut

ſi ullibi, hic ſaltem, in conſpectum ſeſe dediſſent.

Sed quid dicemus de illis, qui omnem aquam intercutem imputant, infrigidato jecinori? ſive frigus illud (ut cum ſcholis loquar) ſit poſitivum; ſive privativum, ſequens intemperiem calidam: quæ, conſumendo neceſſarium calidi innati pabulum, efficit jecur frigidum. Quale certè frigoris genus, difficulter imaginari eſt, in jecinore, ita exuſto, à retorrido calore: ut etiam poſt mortem, manſerint in ipſo, evidentiſſima, ardentis incendii, veſtigia. Sanguis videlicet ignitus, & ab uſtione ita niger; ut nihil diſcreparet ab atramento. Poſſent hic fortè plures rationes in medium adferri; ſed quid verbis opus eſt? ubi tam infallibilia ſenſuum teſtimonia:

Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis.

CAPUT XXXVII.

Abſceſſus meſenterii, à partu diſruptus.

MUlierem prægnantem, quam, ob continuantem dolorem, crediderat obſtetrix gemellos parituram, vidimus, poſt obitum, in meſenterio, habuiſſe abſceſſum, diſruptum, à violentiâ partus. Et ex ejus effuſo pure, inteſtina fuiſſe non tantùm eroſa, ſed verè ſyderata. Colon autem tam liberè bili flavæ innatans: ut licuiſſet eam cochleari inde eximere.

Quam

Quam profectò bilis affluentiam, frequentiùs hic loci, quùm animadvertant Anatomici: veriſimile eſt, eam transſudare paullatim, per tunicas folliculi fellis; huic inteſtino, quàm aliis viciniores. Quapropter malè ſibi conſuluntilli: qui præ nimio ſtudio, validiùs comprimunt jecur. Exprimit quippe prona hæc, flexi corporis, incurvatio bilem. Quæ ut interdùm pungit, ac vellicat extimam inteſtini tunicum: ſic inſinuat ſeſe nonnunquam inter utramque. Excarnificans tum miſerè, ægrum hac ratione obſeſſum: ut millies exoptet mori, antequam eò felicitatis pervenerit. Quam triſtiſſimam cataſtrophen, equidem aliquando memini uſu veniſſe Juveni Bredanenſi, miſerandum in modum ab hac lanienâ occiſo.

Noli itaque, o Medice, illorum ſententiæ inconſideratè accedere; qui ſolis calidis medentur cuicunque colico dolori. Neceſſe eſt turpiter interdum ipſos hallucinari. Reſpice attentè ad oblati morbi cauſſam. Et tolle potiùs, quàm augeas inflammationem, ab effuſa bile, inteſtinis communicatam.

CAPUT XXXVIII.

Ventris diſſectio.

DIſſectio ventris hydropici, quam παρακέντησιν vocant Græci, antiquum quidem eſt remedium, ſed admodùm anceps. Diſplicuit

cuit id olim Erasistrato; neque etiamnum placet omnibus. Utpote rarò utile, & sæpiùs noxium. Damnum autem ipsius ut irreparabile: sic auxilium erit infidum. Quippe non tam curat, quàm curationi viam facit. Exhauriendo magis aquam, quàm ipsum fontem.

Quocirca faciliùs invenies manum secantis; quàm verum, vel ordinem, vel secandi tempus: nedum exactam, educendi humoris, copiam. Quæ tamen nisi convenerit, ad amussim, cum viribus, ab infido morbo labefactatis; necesse est perire, quisquis vitam suam commiserit tam ancipiti aleæ: in quâ tam fortuitum est vincere; quàm necesse perdere.

Sed dicat quis: neminemne, ex artis lege, secari? nisi constet priùs de virium robore, ac viscerum integritate. Sed cui viscera valida, & vires illæsæ, eum rarò adfligit aqua inter cutem. Et si adfligat, consumitur plerumque tantum temporis in medicamentis, aquam, per alvum, ducentibus: ut vix cogitetur de scalpello; nisi ubi viscera jam sint, præ morbi longitudine, vitiata.

Quod remedium propterea, seriùs adhibitum, maturat magis, quàm differt mortem. Effluens namque humor quantùm imminuit, debilem, hydropici corporis, calorem; tantùm dissipat quoque spiritus, plus nimio evanidos. Imò quò celeriùs profluit aqua à sectione: eò citiùs

citiùs abrumpitur utique filum vitæ, aliàs diutiùs fortaſſis duraturæ.

Paupercula aſcite laborans, judicata plurium Medicorum calculis, ſatis ferendo ſectionem ventris; admiſit Chirurgum abundè circumſpectum: à quo licet vitaretur ritè tendinum concurſus; neque emitteretur plus aquæ, quàm par erat; nequiit tamen ipſa ſoſpes evadere. Sed accensâ graviore febre; ſive ex motu, ſive ob aquam eductam; incidit poſtridiè ejus diei, in ſudorem, primùm quidem calidum, ſed mox frigidum, & ex eo, haud diu poſt, in ipſam mortem.

Quem ſiniſtrum eventum etiam in aliis videre fuit; ſed præcipuè in virgine quadam florentis ætatis, quam aqua, aliquoties ordinatè educta, tam impensè exhilaravit: ut videretur, certò certiùs, inde convalitura; niſi nocte tertiâ, vacillante illâ manu, cujus cuſtodiæ vulnus, id temporis, erat commiſſum; tam latè ſeſe reſeraſſet plaga ventri inciſa: ut non fuerit in manu Medici, vel reſarcire vires, plus æquo diſſipatas; vel cohibere profluvium, multò minus effugientem vitam.

Sed quid dicendum, de plagis, quas hydropicorum cruribus, circa talum, cum Cornelio Celſo, incidunt nonnulli? proſunt quidem aliquibus, ſed nocent pluribus: præſertim ſi jam corrupta ſint viſcera. Exſtillat quidem per illas aqua; & videtur quidem in ſpeciem abſor-
beri

beri hydrops: ſed re ipsâ, latitans in ipſis viſceribus, inducit cruri inciſo, vel ulcus inſanabile; vel lethalem gangrænam. Quocirca neque hoc remedio inconſideratè utendum. Niſi enim valida fuerint crura; & probè conſtent corpori vires; non ſuſtinebunt innoxiè, acrem, totiùs ventris, colluviem, in unam derivari partem.

CAPUT XXXIX.

Perforatio ſcroti.

NIcolaus Haſſelarius, ſtrenuus militum præfectus. nullum non movit lapidem, quò liberaretur ab aquâ; tam copiosè, ex Hydropico ventre, in ſcrotum tranſmiſſâ: ut pars illa, accederet propemodum ad virilis capitis magnitudinem. Tandem verò operi iſti, operam navavit Chirurgus Hebræus: qui vitatis curiosè venarum ſurculis, tam dextrè, argenteâ acu, perforavit utramque ſcroti partem: ut cottidiè, inde fermè exſtillarint octo, vel decem, liquoris unciæ. Quibus eductis, obthurabantur foramina, pulvere florum ſambuci, & chamæmeli, excepto oleo roſato, ac vitello ovi. Quo remedio tollebatur non minùs dolor; quàm calor, ab inflammatione cuti impreſſus.

Quo certè ſubſtillo, quantumvis plurimum aquæ ſubduceretur ſcroto, nihilo tamen felicior fuit æger. Manente enim jecinoris vitio, man-

mansit venter æquè distentus: spiritus non minùs difficilis: & angustia utique diaphragmatis tam intolerabilis; ut remedium hoc, quamvis dexterrimè administratum, parum tamen, aut nihil ipsi profuerit.

Etsi interim non negem: perforatione hac, ob imbecillitatem, intermissâ; non dico scrotum, sed ventrem totum, usque eò protinùs intumuisse: ut non modò non potuerit in cubili decumbere; sed ne quidem in sedili desidere, donec tandem ergastulo suo cederet, lassa, ac ærumnarum suarum pertæsa, anima.

CAPUT XL.

Mors ex depresso ventre.

HYdrops dividitur trifariam veteribus, in Tympanitidem, Anasarcam, & Ascitem. Quibus quartam speciem sategit addere, Vir ingeniosus, Hercules Saxonia. Quam asserit oriri, ex sanguine, recens in ventrem effuso. Cujus exemplum testatur, à se, ac Hieronymo Mercuriali, visum, in quodam hernioso: qui ex repentino hoc tumore, emortuus, nullam ostendit ejus caussam: præter decem, vel quatuordecim sanguinis Libras, in ventre conclusas; sine omni omninò aquâ. Pract. medic. lib. III. cap. XXXII.

Quam eandem utique caussam, & nos procul dubio vidissemus, in duobus ægris, à simili tumo-

tumore interemptis; nisi ipsorum cadavera denegassent propinqui. Horum alterum compresserant duæ naves, inter se violenter collisæ: alterius verò ventrem elevaverat tam impensè, pronus in terram casus; ut videretur ascite correptus. A quo tamen ipsum separarunt, cùm tumor subitus; tum mors ita repentina: ut uterque animam efflaverit ante diem tertium.

Verisimile itaque fuit, hos repentinos ventris tumores fuisse, vel à sanguine, ex disruptis venis effuso; vel ex spiritu disruptorum intestinorum. Quale tumoris genus videtur, in duobus ægris, animadvertisse Antonius Benivenius. observ. cap. LXXI. Sed tumores illos, de quibus hic loquimur, ad aquam referre, haud videtur certè rationi consonum.

CAPUT XLI.

Volvulus ex ira.

„ MOrbus tenuioris intestini, quem εἰλεὸν
„ nominant, occidit, nisi resolutus sit, in-
„ quit Celsus, ante septimum. Sed ortus, ab inflammatis intestinis, consumit hominem multò celeriùs. Accensa quippe intestina, ut facilè emoriuntur; sic amittunt, victa, facillimè sensum doloris: & præcipitant ægrum, non tàm in sudorem frigidum, quàm ipsam mortem.

Uxor

Uxor Mercatoris, dolens acerbè, circa umbilicum, ob bilem, præ iracundiâ, liberaliùs in tenuia inteſtina effuſam, incidit illico in inſignem præcordiorum anguſtiam, ſitim immenſam, alvum tardam, & præter crebrum, ac exilem arteriæ pulſum, in tantum gutturis ardorem, & tam indefatigabilem vigiliam: ut die tertiò refrixerit ipſi corpus univerſum; cum viſcido madore, vomitu bilis æruginoſæ, & tandem lethali, omnium nervorum, contractione,

Sed inteſtinis, hactenùs acutè dolentibus, perierat priùs omnis doloris ſenſus. Nemo enim „ (ut Senecæ verbis id efferam) poteſt valdè do- „ lere, & diu. Sed indolentia hæc, arguebat, hujus fiſtulæ mortem. Ac proinde, quæ in aliis Ilei ſpeciebus, obſtinatè ſupprimitur, illa ipſa dejectio ſequebatur hìc ſponte. Sed mali augurii eſt, dolorem hac ratione deliniri; & alvum, ex indolentiâ fieri citam. Niſi enim victrix natura, in ordinem iterum redegerit, inverſum inteſtinorum motum: qui iliacis familiaris eſt; & nihilominùs plurima vergant deorſum: certum eſt, illic aliquid monſtri ali; neque duplici hac viâ, tàm auferri, quàm augeri vitæ periculum.

At enim quò conſtet clariùs, qui ſe habeat natura inteſtinorum. Sciendum illa, in viventibus, continenter in gyrum redigi. Et inſtar alicujus lumbrici, per indefatigabiles circumvolu-

volutiones, ac ſinuoſa volumina, lentè ab illis, deorſum propelli, quicquid in ſe concludunt. Quem motum vocat Galenus periſtalticum, ſive compreſſivum.

Qui manet animalibus, non tantùm quamdiu moventur, vel cor, vel auriculæ ipſi utrimque adpoſitæ. Sed etiam longè poſt. Videlicet, donec ſe movet ſpiritus arteriis incluſus. Cujus motum obſervavimus, in morientibus, longè diutiùs permanere; quàm illum, quem habent auriculæ cordis. Quibus hactenùs, ſed perperam, ultimus fuit attributus motus.

Inſitum autem hunc motum, quo inteſtina naturaliter, quaſi conglobato agmine deorſum tendunt, lædit evidenter obſtructio. Sive illa ſit à lenta pituitâ: ſive ab immiſſione, unius inteſtini, in aliud: ſive etiam ab inflammatione; de quâ agit hocce exemplum. Remoraturque non modò naturalem, expulſionis, motum: verùm inducit contrarium. Qui incipiens, à convulſione, muſculi circularis, anu circumpoſiti, trahit omnia ſurſum; rejiciendo per os, quæ, ex naturæ lege, tenderent deorſum.

Velut clarè videre eſt, apud Galenum comm. XXXIII. l. III. de vict. morb. acut. Quocirca non temerè Hippocrates. Ab Ileo vomi-
„tus, vel ſingultus, vel convulſio, vel delirium,
„malum. lib. VII. aph. X. Quibus certè ſiquidem

dem lubet addere, alvum, ſub finem morbi, lubricam; inteſtina indolentia; & ſudorem frigidum; habebis omnes, deſperatæ inflammationis, notas. Emortua namque inteſtina, deſtinant hominem cædi. Et quo minùs doloris, eò plus dejectionis, & maturiùs interemptus homo.

CAPUT XLII.

Genuinum lati lumbrici caput.

LAtum lumbricum deſcripſere quidem quamplurimi, at ſemper mutilum, & tantùm capite tenus: quod tamen hìc ipſi imponitur. Non fictum, aut pictum, ſed genuinum, ac prout id ipſum, dum corpori etiamnum inhæreret, à Franciſco Vicquio, Arnoldo Tholingio aliiſque quam pluribus Medicis indubiæ fidei coràm conſpectum. Idque non ſemel atque iterum, ſed tertium, quippe toties inſectum hoc excrevit uxor Gulielmi Smitii. Modò quidem fruſtulatim & mutilum, ſed interim ter integrum, & omnibus numeris abſolutum. Erat autem caput hoc non minùs acutum quàm planum, & ore admodum exili, planè eâdem formâ, quâ ejus iconem, dum adhuc reperet, æri incidit Salomon Saverius, artis ejus abundè peritus.

Inſectum autem hocce (ſiquidem credimus Galeno, comm. in aph. XXVI. lib. III.) exten-

Lumbricus latus


Tab. VII.

fig. 1

a. caput integrum.
b. caput alterum sed fractum.
c.c. loca pervia
d. nigra macula.
e. cauda.



fig. 3



alius vermis emictus

dit ſeſe nonnunquam per univerſa inteſtina, proditque rariſſime integrum, ſed frequentius in varia fruſta diviſum; idque interpolatis vicibus, modò per unum, modò verò etiam per plurium annorum curriculum. Referentibus ſingulis particulis, nunc quinque aut decem, & interdum viciſſim viginti aut plures ulnas; qualia fruſta memini aliquando à nobis in Theatro Anatomico omnium oculis expoſita: quæ certe eò ſunt majora, quò alvus magis ſtimuletur ab acriore, aut hieræ Logadii, aut trochiſcorum alhandal, aut pilularum Tralliani, ſtimulo; quibus medicamentis ad expellendum hunc hoſtem potiſſimùm utimur.

CAPUT XLIII.

Iſchuria lunatica.

HEnrico Ainſwordo, Theologo Britanno, ſupprimebatur urina, quolibet fermè plenilunio: cum inſigni anguſtiâ, & evidenti totius corporis incendio. Neque excernebatur illa iterùm, niſi vel declinante lunâ; vel exſolutâ brachii venâ. Verùm ſanguinem toties mittere, quoties Luna, orbem ſuum complens, ſupprimeret ipſi lotium: non videbatur è re ægri. Qui propterea aliquoties tulit patienter, quot nequiit altrinſecùs evitari, malum.

Cujus rarus, & inuſitatus rumor, ut exci-

tavit varia, cùm noſtratium, tùm Britannorum Medicorum ingenia: invenit tamen neminem tam ſagaci judicio, ut potuerit reddere genuinam, reciprocantis hujus periodi, rationem; nedum ſubiti, illius auxilii, quod æger, dictum ac factum, percepit, à ſanguine ex brachio miſſo.

Sola Anatome, poſt obitum inſtituta, eruit illic feliciter veritatem in profundum demerſam: & oſtendit diſtinctè, quî anguſta, renis ſiniſtri, pelvis excreviſſet in eam amplitudinem, ut ſuppleret commodè vicem veſicæ urinariæ. Quæ propterea tam fuit vacua, quàm ren repletus.

Quæ collectio urinæ, majoribus venis adeò vicina, procul dubio, in cauſa fuit, quod tam promptè fluxerit ipſi lotium, ſimulac feriretur brachii vena. Nam velut œnopolæ, ſpiritu ſuprà priùs emiſſo, facilè vinum infra eliciunt, ex repletis doliis: ſic reſerantur quoque renes, ubi vel minimum, ſpirituoſi ſanguinis adimitur tumidis brachii venis. Ex quarum inciſione, vident propterea peritiores Medici, non tam ſiſti, quàm promoveri ſæpè mulieribus, ſuppreſſa menſtrua.

Sed quid dicendum de Lunæ conſenſu? quæ, uti reliquis dominatur aquis; ſic videtur quoque vim ſuam exſeruiſſe, in lotium hujus venerabilis Theologi. Cujus urinam, in rene detentam, ſuppreſſit intumeſcens hoc ſidus, longè

faci-

faciliùs, & dispersit suppressam fortè multò celeriùs, per vicinas venas; quam si delituisset in remotioris vesicæ receptaculo.

A quâ periodicâ, reciprocantis urinæ, revolutione, credibile utique est provenisse, quas singulis pleniluniis, patiebatur, cùm febres, tùm angustias: quibuscum plerumque conflictabatur ad diem quintum, antequam ex toto liberaretur. Sed sanguine, ex brachio, emisso, resolvebatur illicò frenum, lotium supprimens. Quantumvis vesica, præter hoc impedimentum, in se præterea contineret, duos insignes calculos: uti quoque folliculus fellis, sed parvos, nigros, teretes, &, instar pumicis, raros.

Quantùm verò huic Theologo profuit, sanguis ex brachio detractus, tantùm juvere alios, in simili urinæ suppressione, vel sanguis ubertim è naribus profluens; vel frequens macularum, in habitu corporis, eruptio. Quibus duobus auxiliis sanitatem suam aliquando recuperavit, Juvenis quidam, cui integros octodecim dies stagnaverat urina

---

CAPUT XLIV.

Calculus Renum.

PLumarum venditor, emortuus ob renum, ac pectoris vitia, habuit in utroque rene insignem calculum; dispergentem se, quadru-

plici ramo, inſtar crucis, per univerſum renem: adeò ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma. Viderint igitur illi, qui ſatis ſpeciosè docent, ex inciſis renibus calculos eximere: quam turpi ignominiâ proſtituerent, & ſe, & artem ſuam; ſiquidem aliquando inciderent in calculum, tam firmiter renibus innatum.

Sed in thorace vidimus, tres aquæ libras: pulmonem coſtis adnatum: & cor, non tantum pericardio ſuo deſtitutum; ſed exprimens præterea, extima ſui parte, naturam palleſcentis ſevi. Quem colorem ipſi, procul dubio, impreſſerat aqua, in thorace contenta: uti luce clariùs videre eſt, in eorum muſculis, quos occidit, vel λευκοφλεγματία, vel ἀνασάρκα.

CAPUT XLV.

Calculus Ureterem obthurans.

QUàm utile foret ægris, quemcunque curari; tàm glorioſum utique eſſet Medicis, ſingula futura prædicere: ſed latent ſæpe penitiùs morbi; & pertinaces ipſorum cauſſæ, adnectuntur nonnunquam arctiùs corpori: quàm ut poſſis ſemper, vel infallibiliter præſagire eventum; vel integrè expellere, qualemcunque morbum.

Margareta Nicola, vidua quadraginta annorum,

rum, infeſtata aliquamdiu, à dolore lumborum, procidit tandem, in crudele, calculi renalis tormentum: cum vomitu, febre, menſtruis inordinatis, urinæ difficultate, & interdum, tantâ ejus ſuppreſſione, ut totos octodecim dies, nihil lotii reddiderit. Unde excitabatur ipſi, ex ſero ſursùm recurrente, primùm ſopor; ſed mox tam gravis nervorum contractio: ut cogeretur vitam cum morte commutare.

Diſſecto autem cadavere, apparuit ren ſiniſter, ut extrinſecùs lividus, ac tumidus: ſic intùs frequenti aquâ, & pluribus calculis infarctus. Quorum maximus inſinuaverat ſe, acuto ſuo apice, tam longè in ureteris principium: ut id integrè occluderetur; neque permitteretur illàc deſcendere quicquam lotii. Licet potui darentur plurima, aquam ducentia.

Baſi enim cùm foret latiore, quàm ut permearet commodè, anguſtum hunc ductum, neceſſe fuit, quò plus urgeretur ab affluente ſero, tantò quoque impenſiùs intercludere tranſitum urinæ, à renibus deſcendenti. Præſertim cùm oppoſiti renis ureter, non minùs utique occluderetur, à latiore aliquo lapide, inſtar operculi, ipſius principio, impoſito. Quæ duo obſtacula conſpicuè omnibus oſtenſa, vindicarunt artem ab ignominiâ; & inculcarunt efficaciter:

Non eſſe in Medico, ſemper relevetur ut æger.

 Sed

Calculus renis

Tab. VIII.



a. a. renis forma
b. calculus ureteri infix.
c. apex calculi.
d.d. calculi dispersi.

Sed dicat quis: quem terminum ponunt Medici morti, exſurgenti à ſuppreſſo lotio? annon alios citiùs, alios verò occidit tardiùs? valentia corpora ut interdum excurrunt diem vigeſimum: ſic attingunt infirma, vix ſeptimum, vel octavum. Certùm eſt, aliquos duraſſe ad undecimum, & tamen, ex toto, iterùm convaluiſſe. Sed poſt illum diem, equidem certè vidi neminem enavigaſſe, periculoſum hoc ſyrtium æquor.

Quamvis enim cedat dolor, & fluat iterùm lotium; reddidit tamen diuturnior illa mora urinam, interea loci, uſque adeò acrem, & veſicam ita effœtam: ut, ne præſtantiſſima quidem medicamenta, poſſint ab interitu vendicare naturam, hac ratione, non fictè, ac ſimulatè, ſed plenè emortuam.

CAPUT XLVI.

Diabetes.

JUvenis Patritius, ob calculum, in pueritiâ ſibi exciſum, perhorruit uſque adeò, crudelem, hujus tormenti recidivam: ut nulla non admitteret remedia, dummodò cierent lotium. Quo tamen impenſiùs fluente, ob continuum uſum vini malvatici, cum ſemine urticæ præparati: contraxere inde incaleſcentes renes, tantam imbecillitatem; ut diſſoluto ipſorum tono, inciderint in diabetem: ſive tam

vehementem currentis urinæ transitum; ut cottidie emingerentur circiter sex liquoris libræ.

Quo perenni profluvio, ultra tertium mensem continuante, emarcuit summopère corpus, cum lentâ febriculâ, siti inexhaustâ, vigiliâ indefatigabili, & tandem totius compagis, ac omnium viscerum dissolutione, tam evidenti; ut verè fuerit in ipso videre, quid argutus Aretæus intelligat, per colliquationem illam, in quam dicit resolvi carnes, & membra eorum, qui diabete laborant. lib. 11. diut. aff. cap. 11.

Est autem διαβήτης (ut cum Paulo Æginetâ loquar) velox transitus eorum, quæ bibuntur. Adfectus certè adprimè rarus: quem Galenus duntaxat bis; & Victor Trincavellius, spatio quadraginta annorum, ter solummodò vidit. Et nos annis viginti quinque, in frequentibus ægris, bis improsperè; & semel feliciter, in anu sexagenariâ, ante diem quartum decimum, sanatâ.

Caussa ipsius est, imbecillitas renum. Sive eam induxerit frigus, post potum refrigeratum: uti in Abbatissâ Venetâ, & Cardinalis Pisani fratre, animadvertit Victor Trincavellius. Sive calor, excitans non modò sitim, sed irritans præterea vim attractricem renum, velut decrevere, Paulus Ægineta, Alexander Trallianus, Avicenna, & Aretæus. lib. 1. de sig. diut. morb. cap. 11.

Ubi

Ubi expresſè ſtatuitur, morbum hunc excitari, à dipſace, viperâ venenatâ: quam Dioſcorides, & Aëtius Cauſum appellant. Sive, quod commorſi ab illâ, infeſtentur febre ardente; ſicuti loquitur Galenus, libro de theriacâ, ad Piſonem: ſive, quod producat (ut vult Dioſcorides) ſitim adeò inexhauſtam; ut nullâ compeſcatur aquâ. Quæ omnia maximum cùm arguant incendium, mirum certè non eſt: æſtuantem calorem, poni à Medicis, inter cauſſas diabetis, uti hîc à nobis, quoque factitatum.

CAPUT XLVII.

Mictus lapidoſus.

ANus ſeptuagenaria, defatigata aliquamdiu, à febre, ac dolore lumborum, minxit tandem, unico impetu, quaſi relaxatis renum repagulis, trecentos ampliùs calculos. Quem eundem numerum, licuit quoque videre, in uxore cujuſdam præfecti ſocietatis Indiæ occidentalis: quæ diſploſis utique tot tormentis, vixit deinceps, expers omnis belli.

CAPUT XLVIII.

Membrana lapidescens.

GErbreghta Rotaria, credita à calculo obsessa, eminxit tandem membranam satis amplam, obductam exilibus lapillis; sed in medio ita perforatam: ut per hiatum illum commodè excerneretur urina. Reliquerat autem hæc membrana varia sui, in vesicâ urinariâ, fragmenta. A quibus antequam se liberaret Natura, peperit ægræ tantum negotii: ut, resolutis vesicæ nervis, inciderit in involuntarium urinæ profluvium. Quod vitium tamen deinceps, evicere medicamenta, roborandis nervis dicata.

CAPUT XLIX.

Mictus vermis cruenti.

VOlcardus Aita, Vir pleni habitus, excrevit utique à vesicâ, simillimam membranam: & præter illam, corpore jam plenè emaciato, vermem teretem, colore adeò rubrum; ut videretur, solo quasi sanguine altus. In quem etiam totus resolvebatur, post mortem flaccescens.

Momorderat autem hic vermis, tam acriter, quasi sanguinem sitiens, cùm renes, tum membranas, ac venas illis vicinas: ut vix à lachrymis

mis sibi temperarit, vir cæteroquin durus; & à domesticis ærumnis abundè exercitatus. Ac proinde haud facilè erraret is, qui insectum hoc referret, inter illa animalia, quæ veteres θηρία, sive ferina appellant. Quod instar ferarum depascantur nostra viscera: infesta non minùs naturæ humanæ, quàm perniciosissima venena.

Uti perspicuè videre fuit in hoc ægro. Cui pestiferum hoc animal, adeò fuit exitiale: ut etiam, ne mortuo quidem potuerit supervivere. Quippe illo excreto, concidere illicò vires; & post illas, tam celeriter, residuum, emaciati corporis, robur: ut vix ossibus ulteriùs hærens, amiserit brevi, gratissimæ lucis usuram.

CAPUT L.

Undeviginti vermiculi emicti.

EXimius, nostræ Reipublicæ, Medicus eminxit, post febrem tertianam, intra octiduum, undeviginti vermiculos: sine dolore, ullâve urinæ difficultate, sed cum lotio, à bile, tincto; & pituitâ in fundo subsidente. Erant autem hi vermiculi, inter illos, qui putri caseo innascuntur, & ascarides, medii. Ab obtuso, ac lato capite, (cui protuberabant duo cornicula,) sensim desinentes in acuminatam caudam. Cujus extremus apex ni-

nigricabat, in viventibus, admodùm perſpicuè.

At in convexâ parte, ſive dorſo, fuere rotundi, ac glabri. In ventre verò depreſſi, rugoſi, & inſtar millepedum, innumeris pedibus donati. Uti verè exprimit figura minor, conveniens ad amuſſim, cum genuinâ ipſorum formâ, ac magnitudine: quæ tamen, veritus, ne oculos lectorum facile fallerent; ſategi ex illis, & alteram, majorem illam figuram elicere, per perſpicillum illud, quod (auctâ inſigniter ſpecierum magnitudine) ſignificantiùs demonſtrat latentia, exilium corpuſculorum, lineamenta, & minutias, aliàs inviſibiles. Vide tabulæ ſeptimæ figuram ſecundam.

Quas eò delineavi accuratiùs; quo propiùs videntur convenire, cum illo vermiculo, quem Vir diligens Ambroſius Pareus, aſſerit olim excretum, à ſolertiſſimo Hippocratis Interprete, Ludovico Dureto, ex difficili morbo, convaleſcente. lib. XIX. cap. III.

CAPUT LI.

Cottidianus vermium mictus.

MUlier annorum quinquaginta, infeſtata crebriùs partim à pituitâ, ex capite deſtillante; partim verò ab indefatigabili lumborum cruciatu, excrevit, ſub finem morbi, ſingulis diebus, vel quinos, vel ſenos vermiculos:

co-

colore ut albos, sic neque formâ dissimiles illis, quos profert caseus putris. Fuere tamen duo, inter illos, ita magni; ut æquarint longitudine digiti articulum. Ut eleganter exprimit figura, à cælatore, æri incisa.

Ne autem putredo, vera vermiculorum caussa, ulteriùs proserperet, pluresque, quàm renes, aut vesicam, inficeret partes: sategimus, per sequentia remedia, opem ferre; quibus etiam fontem hunc integrè exhausimus.

℞. Conservæ absinthii Romani, uncias duas, radic. helenii conditarum, unciam, corticum citri conditorum, unciam mediam, pulveris hieræ picræ, scrupulum unum, olei vitrioli, drachmam mediam. Misce, fiat Conditum.

℞. Massæ pilularum nitri Tralliani, pulveris hieræ picræ, singularum scrupulum medium, olei vitrioli, guttas quatuor. Misce, fiant Pilulæ quatuor.

℞. Radicum helenii, unciam mediam, bryoniæ, drachmas duas, raphani agrestis, uncias tres, herbarum abrotani, rutæ, absinthii, singularum manipulum, centaurii minoris, chamædrios, singularum manipulum medium, seminum limonum & portulacæ, singulorum unciam mediam, foliorum senæ mundatorum à stipitibus, drachmas tres. Decoquantur secundum artem, & adde libris duabus colaturæ, syrupi è quinque radicibus oxymellis scyllitici, singulorum uncias duas, è limonibus, unciam

unam,

unam, olei vitrioli, ſcrupulum, & fiat Potio. Vide tabul. VII. fig. III.

CAPUT LII.

Periodicus capillorum mictus.

MIctum capillorum, ſive τριχίασιν, conſpexere Medicorum aliqui, ſed admodum pauci. At quis reciprocantem ipſius periodum? quam nobis evidentiſſimè obtulit filius Conſulis Hornani: afflictus quatuor ampliùs annos, ab hoc inuſitato capillorum mictu, qui ipſi identidem revertebatur, quolibet decimo quarto die, cum inſigni urinæ difficultate, & tantâ, perturbati corporis, inquietudine, ut vix ſe contineret in cubili.

Æquantibus ſingulis pilis, modò medium, modò verò digitum integrum. Sed muco ita involutis, ut raro ſeparatim, ſed plerumque prodierint conglobatim. Durante qualibet acceſſione dies fermè quatuor: in quibus licet continenter, & moleſtè, redderet urinam; tranſegit tamen reliquos dies, ſine ullo cruciatu, ullove capillorum mictu, uſque dum poſtliminio repeteret, conſueta reciprocandi ratio.

CA-

CAPUT LIII.

Ulcus vesicæ sanatum.

SAra Sadelar, divexata miserandum in modum, à sordido, ac acri vesicæ ulcere, fecit quidem periculum, terebinthinæ cypriæ, ligni nephritici, chalybis, aquæ mulsæ, aliorumquè, cùm siccantium, tùm detergentium remediorum, quæ longior usus comprobaverat, esse sanando ulceri efficacissima. Quibus tamen omnibus, parùm, aut nihil proficientibus, confugit tandem ad aquam fontis Spadani: cujus certè continuo usu, debellavit tam feliciter deploratum illud vesicæ ulcus; ut summè obstupuerint, quibus id videbatur habere certam desperationem.

CAPUT LIV.

Terrestris Coles cum Coleis suis.

SCiscitanti mihi aliquando, in arenoso Joannis Sixii Generi mei alneto, aliquos Adriani Junii phallos, quos noveram, ibidem loci, impendio nimis luxuriare, obtulit se nec inopinanti, & præter omnem spem, nescio quis terrestris Coles cum Coleis suis, adeo ad amussim cum pene virili conveniens; ut vix ovum ovo videris similius.

Quocirca veritus sum ejus iconem, quam cu-

Colês Terrestris Cum Coleis.



curaveram jam æri incidi, huic operi inſerere, ſatius exiſtimans, Satyricam hancce laſcivientis Naturæ luxuriem, ſolis Medicorum quorundam oculis, verecundè & clanculum, intra privatos parietes exponere, quam in publicum edere, & liberam cuilibet ejus copiam facere.

Erat autem Caulis ſive ſcapus ipſius teres, & exactè rotundus, extrinſecus quidem glaber ac lævis, potiſſimùm recens ex terra erutus, ſed intus totus fungoſus, &, aliquamdiu adſervatus, corrugatus, & pluribus ſcrobiculis quaſi exeſus. Longitudo penis ut fuit novem, ſic teſtium ambitus duntaxat quatuor tranſverſorum digitorum. Summa cuſpis tegebatur quidem capillari aliquo tubere, ſed deficiebant glans, corona, præputium ac frenum. Vis ſimile quid, lege ultimam epiſtolam lib. III. Andreæ Matthioli, & quæ hìc vides, oculo pudico.

NICOLAI TULPII OBSERVATIONUM MEDICARUM LIBRI TERTII

Caput I.

Misera, virginis gibbosæ, conditio.

DISPAREM humanæ vitæ conditionem, ut passim alia, sic demonstrat potissimùm, inusitata quorundam morborum atrocitas; sæviens nonnunquam adeò immensùm in nonnullos: ut vix suppetant verba, quibus exprimas debitè ineffabilem ipsorum miseriam. Qualia infortunia equidem vidi plurima. Sed non possum hìc non meminisse trium ægrorum: quorum certè ferox calamitas, & formidabile tormentum, excussissent lachrymas, vel infensissimo hosti.

Virgo gibbosa redigebatur paullatim, cùm à difficili spiritu, tùm ab aquâ intercute, in eas angustias: ut nec potuerit sedere, nec decumbere, nedum (quod tamen moliebatur) corpus suum, quasi in æquilibrio suspendere, ex lineo subligaculo. Unde factum, ut coacta sit sese provolvere in genua, ac cubitos: eoque prono situ, integrum ampliùs mensem, sustine-

re gravem, ponderosi corporis, molem. Sed non sine evidenti excoriatione cutis, ob continuum articulorum attritum.

Ex quo, inversi corporis, positu, dici non potest, quantum intumuerit facies; quam formam genæ; & quæ non tubera acquisiverint palpebræ. Ut sileam nunc, summum illud vitæ tædium; quod conceptum, ex intolerabili hac miseriâ, nescio quos non gemitus, & quæ non expressit lamenta. Adeò ut vocarit, modò illos felices, qui semel duntaxat morerentur: modò verò, qui mortui placidè quiescerent; quùm sibi, quasi in pœnam daretur, & continenter mori, & nihilominus nunquam quiescere.

Exclamans propterea, nullum suæ miseriæ dari finem; verùm alium ex alio necti errorem: ejusque perplexo reti, tam strictè vitam suam intricatam detineri, ut, licet vivendum sit, ignoret tamen, ulteriùs vivendi rationem. Se non ampliùs liberè, sed precariò vivere: dummodò vivere sit, ire cottidie, quasi ad proprias exsequias; & accipere à morte, plus detrimenti, quàm solatii.

Quæ lamenta ut magna, fuere tamen neutiquam morbo graviora. Siquidem enim decumberet supina, obstabat illicò gibbus; si prona, urgebat tam vehemens, oppressi spiritus difficultas: ut videretur, dictum ac factum, pessum ire. At si inclinaret in alterutrum latus,

profluebat illicò illuc tantum aquæ, ex hydropico ventre; ut maluerit millies mori, quàm tam acerbam vivere vitam.

CAPUT II.

Vesica, à calculo, consumpta.

IN quam eandem rerum desperationem, utique incidit Juvenis quidam Harlemensis, miserandum certè in modum excarnificatus, à duobus calculis, in vesicâ urinariâ clanculùm latitantibus. Quippe ita absorpserat illos, frequens vesicæ mucus: ut nequiverint eos digitis explorare, nedum ferro convenienter exscindere Lithotomi.

Unde factum, ut continuo suo attritu, non modò abraserint, verùm integrè consumpserint, membraneas vesicæ tunicas. Illæso solummodò, vel potiùs, aliquatenùs adhuc superstite, musculoso ipsius collo. Quòd cùm non foret continendo lotio, diffudit se illud necessariò per vicina intestina: excitans illic, ut dolorem acrem; sic continuam mejendi difficultatem, & exitialem nervorum contractionem.

Sive ob exquisitum intestinorum sensum; sive insignem retentæ urinæ acrimoniam: quæ certè tam acerbè pupugit laceras, ulceratæ vesicæ, oras, & accensas, vicinarum partium, tunicas; uti quoque lumborum nervos: ut, præ in-

inſuperabili doloris cruciatu, contraxerit non tantùm extremam maciem; ſed oppetierit quoque miſerrimam mortem.

Quâ tamen, priuſquam defungeretur; coactus fuit integrum annum ſedendo tranſigere, & non heri, atque hodie, ſed continenter, caput ita ſublime habere: ut nunquam id licuerit ipſi, in pulvinar inclinare; quin, dictum ac factum, diſtraherentur, vel omnes, vel certè illi nervi, qui aut caput verſus ſcapulas trahunt; aut rectam, & immobilem reddunt cervicem. Quam priorem ſpeciem, ut ὀπισθότονον; ſic inſequentem τέτανον, ſive rigorem appellant Medici.

Quorum ſanè ſæviſſimorum tormentorum crudelitatem, tam impensè perhorruit hic Juvenis: ut fugerit, cane pejus & angue, qualecunque decumbendi genus. Malueritque perpetim confligere, cum ineluctabili dormiendi neceſſitate; quàm tam acrem perpeti dolorem: & tantis moleſtiis redimere, tam irrequietam, fatiſcentium membrorum quietem. Quorum tamen ſecuritati tandem conſuluit mors.

In cujus luctâ, contigit quidem ſuccumbere, ſed non decumbere. Quod tamen bis fuit conatus, ſed bis utique repulſus, cùm ob indefatigabilem dolorem, tùm ob atroces nervorum contractiones; quæ certè intervenere tam frequenter: ut neceſſe habuerit parere inevitabili

necessitati, & invisam vitam finire; si non decumbendo, saltem sedendo.

Inspectis autem, post obitum, miserrimi hujus cadaveris, extis, vidimus duos insignes, in vesicâ, calculos, sed muco ac puri penitiùs immersos; quàm ut ipsorum durities potuerit à Lithotomi digitis attingi. In quo tamen maximum artis illius momentum. Ipsa verò vesica, adeò à calculis fuit attrita; & à pure tam fœdè consumpta: ut urina destituta proprio receptaculo, fluctuaverit liberè per universa intestina.

Quorum sinuosi anfractus acriùs ubi vellicarentur, communicabant illicò malum suum nervis, à spinali medullâ oriundis: & illi vicissim ipsi cerebro. Cujus præternaturalis contractio incurvavit non semel, tam vehementer, hujus juvenis dorsi spinam; ut universum corpus videretur, instar alicujus globi, retrorsum conglomerari.

Deprimentibus interim duobus hisce calculis, usque eò, rectum intestinum: ut coarctatum produxerit plurima membranosa filamenta; intertexentia tam arctè interiorem ipsius fistulam: ut nihil excretorum potuerit ampliùs transmittere. Planè eâdem ratione, quâ similia filamenta vidimus obstruxisse gulam, à carcinomate coarctatam.

CAPUT III.

Gangræna umbilici.

MUlier annos nata quinquaginta, contraxit, ex acerbiſſimo ventris dolore, inſignem gangrænam, depaſcentem tam truculenter medium abdomen: ut conſumpto umbilico, & perforato peritonæo, denudaverit non modò meſenterium ac inteſtina; ſed exederit præterea pleraque ventris exta. Horrendum mehercules ſpectaculum; & teterrimum, deteſtandæ calamitatis, armamentarium.

Cujus abominanda laniena objiciebat oculis, hinc hiulcum cutis, muſculorum, peritónæi, ac omenti foramen: illinc verò cruentas, exulceratarum partium, oras: lacera, deformis meſenterii, vaſa: & quæcunque ventris viſcera, à pure, ſanie, ac effuſis cibi reliquiis, tam fœdè conſpurcata; ut nihil vel acerbiùs unquam tulerit, vel exſecrabiliùs viderit quiſpiam mortalium.

Equidem certè, ut ingenuè fatear, neſcio quam non potiùs feram admiſiſſet hæc ægra, quàm talem aquilam: quæ non tantùm depaſcebatur cor (ut de Prometheo fabulantur Poëtæ); ſed præterea etiam pleraque ventris exta; imò quicquid in inferiore hac culinâ, nutriendo corpori, deſtinavit ſagax, ac officioſa

Natura. Sed complicatis tragicis hisce aulæis, properemus potiùs ad tempe, minùs saltem inamœna.

CAPUT IV.

Lapides bezoartici, in homine.

ADmiranda, ludentis Naturæ, opera, ut passim mundus universus; sic ostendit inprimis homo, animal verè divinum. In quo uti continentur omnium quasi animantium formæ: ita vix quicquam complectitur major mundus; cujus figuram non exprimat ad amussim, fœcundum hocce, totius universi, compendium.

Joannes de With, Senator Amstelredamensis, enecatus à calculo, & sectus deinde à Chirurgo, habuit in vesica sua viginti novem calculos, figurâ, ac magnitudine inter se, ut dispares; sic formâ, glabritie, ac lævitate adeò invicem similes; & tam propè convenientes cum lapide bezoartico, quem fert India orientalis: ut facilè, vel oculatissimo, imposuisset aromatario.

Latitabat autem unusquisque, involutus proprio receptaculo; & quidem tam tectè: ut circa initium crediderit Chirurgus, nihil calculorum illic detineri. Cujusmodi cavernosis cuniculis, testantur Brouerdus & Raphaël Thorius, inhæsisse utique innumeros calculos, in

ru-

rugosâ, Isaci Casauboni, vesicâ; sed non in sacculo illo subtus adhærente: quem asserunt uno ore, fuisse sine calculo. Licet secus videatur indicare Joannes Riolanus, Anthropograph. lib. II. cap. XXVIII. Vide Johan. Beverovicium, in Spicilegio de calculo

Lapides verò hosce, ceu industrium, sagacis Naturæ, opus, ubi intueretur Cornelius Sasboutius; qui omnem ætatem triverat in exsecandis calculis: asseruit sanctè, inter innumerum illum, quem viderat calculorum numerum, occurrisse quidem subindè, miras, lascivientis Naturæ, figuras, verùm hactenùs nullam, in quam tantùm operæ posuisset, polydædala rerum parens, Natura.

CAPUT V.

Calculus, vesicæ adnatus.

VElut calvariæ fractæ nihil perniciosius est, occultâ, oppositi ossis, rimâ: sic summè nocet vesicæ urinariæ, calculus ipsi adnatus. Quem sive tollas, sive relinquas, perinde occidis ægrum. Cujus periculosæ accretionis specimen, licuit aliquando videre, in cadavere cujusdam viri Brabantini. Cujus Vesica continuit calculum membranâ involutum; & fibris suis tam strictè vesicæ tunicis adligatum; ut vix inde avelleretur sine manifestâ dilaceratione.

Quam

Quam eandem calamitatem, ſed eventu triſtiore, dicitur quoque vidiſſe Vetus Amſtela, pagus ad mille paſſuum Amſtelredamo diſſidens, in ruſtico verè infelici. Cui Lithotomus ademptaturus calculum, extraxit ſimul & ipſam veſicam; utpote calculo, tot, & tam tenacibus vinculis, accretam: ut nequiverit, ullâ arte, ab eo ſeparari Ac proinde conjecit in præſens periculum non minùs vitam ægri; quàm famam curantis.

Viderint itaque hìc Lithotomi, quàm facile decipiat ipſos candela cerea: & quàm parùm fidendum, penicillo ferreo, tentandi gratiâ, in veſicam immiſſo. Quippe renitens durities eſt ipſis infallibile, præſentis calculi, indicium. At calculus tunicâ ſuâ obductus, nec reluctatur tactui; nec percuſſus edit ſonitum. Quocirca non credendum ſolis hiſce experimentis; ſed vocanda ſunt in ſubſidium etiam alia ſigna, confirmantia vacillantem ipſorum certitudinem.

Sed quid faciet Lithotomus, inveniens ejuſcemodi calculos, incisâ jam urethrâ, & dilatato ritè veſicæ collo? tollet, an relinquet? tollet ſequaces, & relinquet reluctantes. Neque enim omnes involucro incluſi adnaſcuntur veſicæ, ſed quidam illorum fluctuant liberè: prodeuntque non minùs facile, ac ſi nullâ tegerentur membranâ. Uti equidem bis vidi, in duabus mulieribus, quæ ejuſcemodi

modi calculos, & spontè, & prosperè excrevere.

Quod si verò vesica sit malè conformata: sive ob membraneum septum, eam intus dividens; uti videre Casparus Bauhinus, & Volcherus Cojiter: sive ob ἔκφυσιν illi adhærentem; qualem habuit Vir inusitatæ eruditionis, Isacius Casaubonus: sive ob membranas ipsius complicatas, & pubis ossi arctiùs accretas, quam ut possit sectio institui, sine evidenti vesicæ offensâ; qualem hujus partis positum equidem aliquando observavi, in filio cujusdam mercatoris, sectioni jam destinato: tum certè non minore circumspectione opus erit; uti videre fuit in exemplo hìc inserto.

In quo, ingloriam certè operam collocasset Lithotomus, aliàs minimè inexercitatus; nisi perterritus, à perverso hoc vesicæ situ, sustulisset prudenter manum de tabula: consulens utiliter, non minùs pueri saluti, quàm suo honori. Latitabat namque hic calculus (uti quidem docuit Anatome), tam perplexo errore, contortæ huic vesicæ implicitus: ut ne ipsus quidem Æsculapius eum inde exemisset, sine manifesto vitæ discrimine.

CA-

CAPUT VI.

Calculus, vesicâ arctè circumdatus.

VIr maturæ ætatis, aliquoties seriò admonitus, noluit tamen sibi exsecari calculum. Non, quòd vereretur (uti quidem præ se ferebat) vitæ jacturam: sed ne videretur familiam suam fraudare necessario suo fulcro. Quæ sententia ubi stetit: increscere interim malum; insectari acerbiùs tormenta; & vires indies ita fatiscere: ut, obsolescente corporis usu, cogeretur vitam cum morte commutare.

Altero rene, à putredine, jam consumpto, altero verò, ab aquâ ita distento: ut videretur supplere vicem vesicæ. Quam etiam vidimus planè vacuam, & omni liquore destitutam. At ureteres tam amplos, ob calculos illac crebriùs transeuntes: ut in se, haud gravatè, admisissent digitum humanum.

Ipsa autem vesica continuit duos calculos, à corrugatis ipsius tunicis tam arctè circumdatos: ut, præter illos, vix unciam recepisset liquoris. Quæ inusitata ipsius angustia peperit, procul dubio, ipsi, non modò crebram urinæ difficultatem; verùm etiam continuum dolorem, ortum ex fervidâ, præassatæ urinæ, acrimoniâ, erodente, assiduò, intentas vesicæ membranas.

Quas

Quas ſiquidem, præter commem orata incommoda, acriùs etiam urgeret, aſperioris calculi, attritus; excarnificabatur certè uſque eo miſerrimus hicce homo: ut, præ tormenti magnitudine, neſciverit multoties, quò ſe verteret; non ſatagens ampliùs ſuos demereri: ſed inviſæ vitæ tantoperè jam pertæſus, ut, exuto omni illo amore, quem, circa mali initium, diximus, inſtar voraginis, abſorpſiſſe qualecunque calculi tormentum, diſceſſerit, non invitus, è vita.

CAPUT VII.


Calculus, trium unciarum, ſponte excretus.

CAthalina Pannemaker, agens annum octuageſimum nonum, ubi integrum triennium tuliſſet animosè, in veſicâ urinariâ, calculum, ponderantem tres uncias cum duabus drachmis; enixa fuit tandem feliciſſimè lapideum hunc fœtum, cum duobus conchyliis, foris itidem lapideâ cruſtâ obductis. Auſa fortaſſis ipſa plus spontè, quam in tali ætate aggreſſus fuiſſet, ne exercitatiſſimus quidem, Lithotomus.

Sed fuit hæc virago, præter ætatem, vegeta, & tantâ virium conſtantiâ: ut tulerit non tantùm fortiter longum hoc calculi tormentum; ſed ſuſtinuerit etiam deinceps non minùs

Calculus vesicæ

Tab. IX.



a. calculus
b. b. prominentia
c c. duo couchilia

nùs animosè, molestam illam, effluentis lotii, incontinentiam, quæ solet sequi vesicam, tanto molimine, distentam. Prodiens cottidie in publicum, & frequentans non minùs conciones sacras; ac si nihil vitii fuisset perpessa: uti cum stupore nobiscum vidit, exercitatissimus nostræ Reipublicæ Medicus, Jacobus Barra, quocum vitulæ huic medicinam fecimus.

CAPUT VIII.

Modus eximendi calculum, ex urethrâ.

CAlculum verò, quem mulier, ob brevius vesicæ collum, facilè; illum excernit mas, propter longiorem colem, difficillimè. Sed si contigerit, lapidem aliquem, tam firmiter urethræ inhærere: ut intercludat urinæ transitum, confugiunt illico Medici ad triplex remediorum genus. Scalpellum, uncum, vel suctum. Eorumque ope educuntur nonnunquam, ex angustâ hac fistulâ, calculi, ut magni, sic interdum maximè obluctantes.

Sed suctus cæteris plurimùm præpollet. Utpote tutissimè eliciens calculos, etiam asperrimos; cùm à sectione relinquatur plerumque inæqualis cicatrix, & uncus non parùm exasperet glabram urethræ tunicam. Verùm si calculus immoretur prope glandem, seca intrepidè, certus cicatricis asperitatem non tam reformi-

 dan-

dandam, in carnoſo colis fine, quàm in medio membranarum ductu.

At verò, præter triplicem hanc calculos educendi viam, excogitarunt Medici Ægyptii & quartam: cujus ope eliciunt calculos, ſine inciſione, non tantùm ex urethrâ, verum etiam ex ipſâ veſicâ, dilatando duntaxat colem per inflatum ſpiritum; qui ne penetret ad interiora, comprimunt, arctâ manu, extremum pudendi. Et propulſo paullatim calculo, per digitum ano immiſſum, ad latiorem urethram, adigunt eum lentè verſus præputium. Quò ubi pervenit, removetur confeſtim cannula, quæ coli ſpiritum inſufflavit. Eaque ratione educuntur ab illis calculi, magnitudinis nuclei olivæ. Vide Proſperum Alpinum Medicinæ Ægypt. lib. III. cap. XIV.

Cujuſmodi certè lapides, etiam ſine tali molimine, cottidie apud nos prodeunt, vel ſponte, vel arte eliciti: præſertim ſuctu, vel unco; & nonnunquam ſolius catheteris beneficio. Cujus periculum, non ita pridem, facturus Lithotomus perduxit, ſolo cathetere, lapidem veſicæ, æquantem nucleum olivæ, ultra medium urethræ. Quò loci, ubi inhæreret firmiùs, quàm ut ſequeretur trahentis manum; incidit ſubtus colem, &, educto illic calculo, liberabat ægrum feliciſſimè, ab omni cruciatu.

Siquidem autem incruentum hoc Ægyptiorum

rum experimentum, opitularetur promiscuè cuicunque calculo, sive magno, sive parvo (quod tamen minimè testatur Prosper Alpinus); ex usu certe foret, usum illius, in usum trahere. Sed colis virilis ductus angustior est, quàm ut transmittat cujusmodicunque calculos. Neque enim dilatatur urethra perinde mari, ac vulva mulieri. Acproinde toto cœlo errant, qui medicinæ candidatis passim inculcant, colem non minùs ampliari posse ab arte, vel spiritu illi inflato, quàm vulvam, à Naturâ mulieribus prægnantibus obstetricante.

CAPUT IX.

Turunda lapidescens.

ADolescens temerarius, fretus juvenili robore, ivit, in India occidentali, venatum urum, sive taurum sylvestrem; ferox profecto & indomitum animal. Verùm venatione infeliciter succedente, ictus fuit graviter à tauri cornu; transeunte vulnere, per peritonæum, usque in vacuum vesicæ urinariæ.

Cujus dilaceratæ tunicæ plurimùm ubi colligerent puris; immisit illis Chirurgus, detergendi caussâ, ampliorem turundam, concinnatam ex complicatis filis. Quod linamenti genus, creditur esse Hippocratis ἔμμοτον. lib. v. aph. XLVII. Evenit autem, sive ægri

incuriâ, ſive curantis negligentiâ, ut turundam hanc in ſe attraxerit veſica; obducens eam primùm muco, deinde verò concreto calculo.

Unde occludi paullatim vulnus; emingi continenter pus; & collum veſicæ urgeri tam perenni mejendi difficultate cœpit: ut inde moveretur non levis ſuſpicio, latitantis alicujus calculi. Quem etiam tandem ipſi exſcidit Lithotomus, æquantem magnitudine pugnum humanum; & continentem in ſe turundam illam, quam diximus Chirurgo clanculum fuiſſe ſubductam. Erat autem hic lapis, ut fragilis; ſic accretus duntaxat, ex pure indurato. Attamen liberatus hic Juvenis, à ponderosà hac mole, evaſit illicò inextricabile illud periculum, quod ipſum aliàs, miſerandum in modum, confeciſſet.

En vada! ac brevia quæ vites Chirurge. Adnecte prudenter faſciam linamentis, immittendis in plagas, ad interiora penetrantes. Sed præcipua ſit thoracis, ventris, ac veſicæ, cura. Quæ niſi cordi fuerit; incides, procul dubio, in acutos ignominiæ murices; & præcipitabis ægros, tuæ diligentiæ commiſſos, in inextricabilem errorem.

C A-

CAPUT X.

Lethalis ani tumor.

PEriculosa uti sunt, duriora tubera, inter gulam, ac asperam arteriam sese insinuantia: sic neque sine evidenti discrimine est ille tumor, qui hæret maribus inter vesicam, & intestinum rectum; & fœminis inter easdem partes, ac vulvam intermediam. Præsertim si adultus, nec maturescat maturè; nec effundat tempestivè pus in se contentum. Intercludit quippe, mole suâ, exitum excretis illâc erupturis: impediendo rigidè, ne descendat alvus; profluat vulva; vel lotium deponat vesica. Quæ impedimenta occidunt infallibiliter hominem.

Sutoris uxori excrevit, sexagesimo ætatis anno, ingens tumor, inter alvum, ac vulvam: sed loco penitiore, quàm ut eò vel penetrarent medicamenta, pus moventia; vel ferrum, abscessum aperiens. Unde factum, ut, indies latiùs sese extendens, pervenerit tandem ad eam magnitudinem; ut suppresserit, juxta alvum, ac vesicam. Quarum partium cùm non potuerit carere usu, carendum fuit dulcissimæ lucis usurâ.

CAPUT XI.

Dolor ani, quartâ horâ, à ſolutâ alvo.

QUantum homini prodeſt moderata; tantum nocet invicem immodica ſanguinis profuſio: præcipuè ex ani venis. Quæ diſtentæ acri ac fervido ſanguine, niſi maturè ſeſe exonerent, excitant ſæpenumerò, vel pernicioſa ulcera; vel dolorem, ſive continuum, ſive periodicum: ſed rarò ita ordinatum, ut invadat definitâ aliquâ horâ. Quas tamen interpolatas vices, uti contigit nobis videre, in morbis aliis; ſic etiam obſervavimus eaſdem, in reciproco harum venarum dolore.

Jacobus Scipio, Vir procerus, ſed ventriculi imbecillioris, & lienis ſummè obſtructi, doluit inſigniter circa anum, quâlibet quartâ horâ, poſt exſolutam alvum: quùm alios idem dolor ſoleat invadere protinùs, à dejectione. Cujus moræ cauſſa, procul dubio, rejicienda eſt, in lentam illam pituitam, quam frigidus ventriculus continenter immiſcuit atræ bili, venis hæmorrhoidalibus inhærenti.

Sed cur acceſſit hic dolor præcisè horâ quartâ, à dejectione? annon ex naturâ bilis atræ? quæ uti movetur die quarto; ita fortaſſis & horâ quartâ? niſi lubeat fortè recurrere, & reciprocum hunc ordinem referre, ad abſtruſam aliquam cauſſam. Quam equidem, in tantis tene-

ne-

nebris, lubens discutiendam relinquam sagacioribus ingeniis.

Erat autem hic dolor, adeò acerbus; ut vix fuerit ferendo æger: quocirca nihil non tentatum, quò opitularemur homini. Sed præcipuum auxilium tulere sanguisugæ, ano adpositæ. Quæ exsugendo sanguinem, venas distendentem, absorpsere simul malignum virus, anum summe excrucians.

CAPUT XII.

Lumbricus ex inguine.

SArtoris uxori, vivus lumbricus, ex inguinis ubi erupit absceſſu; veritus fuit Chirurgus, inde eventurum immedicabile intestinorum ulcus. Sed benedixit Deus tam clementer detergentibus, ac consolidantibus medicamentis, suprà, infraque adhibitis: ut repleto convenienter ulceris vacuo; & glutinatis debitè hiantibus intestinorum tunicis, brevi evaserit ex periculoso hoc syrtium æquore.

CAPUT XIII.

Periculosa hernia sanata.

NIhil herniæ intestinali perniciosius est, quàm stercus per os reddi. Arguit quippe hæc regurgitatio, manifestam motus peristaltici offensam. In quo cùm consistat verum in-

inteſtinorum ſtabilimentum, mirum non eſt, ſi, eo labefactato, peſſum eat homo. Licet interdum reperiantur nonnulli adeò validi; ut, devictâ tam exitiali noxâ, adipiſcantur iterùm priſtinam ſanitatem. Quod tamen albo corvo rarius.

Nautæ, ex hiberno naufragio diu madido ac frigido, intendebantur tantoperè, à ſpiritu, inteſtina, plus æquo refrigerata: ut, dilatato peritonæi proceſſu, deſcenderint non modò in inguina, verùm in ipſum ſcrotum. Unde difficulter retrò compulſa, ſive ob diſtendentem ſpiritum, ſive induratum ſtercus, læſere non parùm motum periſtalticum. Et, cùm non poſſent ſe infrà exonerare, ejecere ſupra per os, cùm bilem flavam, tum ſordida alvi excrementa.

Quæ præternaturalis excretio, aliquamdiu continuans, licet videretur habere certam deſperationem: vidimus tamen, die tertio decimo, inteſtina hæc, à Cornelio Sasboutio, ritè in locum ſuum reducta; & ægrum, quantumvis ſummè debilem, imò morti jam vicinum, præter omnem ſpem, enavigaſſe feliciter, periculoſam hanc charybdin.

CAPUT XIV.

Sapientia Juvenilis.

QUo proſpero ſucceſſu utique fruitus fuit locuples quidam ſapientiæ candidatus: qui,

qui, juveniliter prudens, neſcio quæ non in medium attulerit argumenta, quò evitaret remedia herniæ ſuæ convenientia. Aſſerens propterea, ſe quidem videre diſcrimen neglecti morbi, & pœnas, quas daret, ob contempta remedia; quin imò ipſam mortem haud improviſò ſibi interventuram.

Quippe mortem omnibus promiſcuè proponi. Rem ſibi eſſe ſatis lautam; ac proindè obitum ſuum nemini detrimento, quin potiùs multis uſui futurum: magnam fortunam magnum decere animum Se jam ſatis philoſophiæ ſacris operatum, & abundè ſcire, non perpetuò timendum, quod ſemel faciendum.

Mortem etiam non terrere ſapientem, ſed quâvis vitâ eſſe optabiliorem. Imò ſtultum ſomno delectari, & mortem perhorreſcere. Se quidem juvenem videri; ſed ſenem interim eſſe, quiſquis perveniſſet ad extremum ſui fati. Iviſſe aliàs alios, quò neceſſitas vocarit. Iturum & ſe, quamcunque viam ingrederetur morbus, a quo id temporis obſidebatur.

Vitam Circæis illecebris fucatam fallere quidem imperiti vulgi ſenſus; ſed philoſophi ſupercilio nihil indignius. Quocirca ſe beneficii loco accepturum, ſi poſſet maturam oppetere mortem. Et brevitate vitæ ſuperare incommoda, quæ fortè adferret inſequens ætas.

Quæ tamen ſpecioſa fiducia oppidò quàm

brevi destituit hunc philosophum: ubi vidit, futiles suas argutias difflari, à stercore per os erumpente; & gloriosam illam linguam continenter perfundi fœdâ alvi illuvie; & cor majoribus infestari angustiis, quàm unquam conceperat animo.

Quæ certè tam vehementem, in ipsum, fecere impetum; ut lubens exuerit umbratilem philosophum. Et obtestatus sit obnixè amicos, nullis parcerent sumptibus; sed quidvis largirentur Medicis; imo mediam divitiarùm suarum partem: modò vendicaretur ab angustiis, quas intentabat urgens hicce morbus.

Plurima quidem improvida sibi excidisse; sed nunquam cogitasse, tam acerba fore mortis spicula. Neque tam imbellia tela, quæ imaginaria philosophia opponeret morti. Se quidvis remedii admissurum, & nihil non acturum, modò liberaretur à præsentissimo hocce vitæ periculo.

Quibus lamentis permoti amici, permovere tandem, sed non sine insigni mercede, Cornelium Sasboutium, ut manum operi admoverit, & feliciter reposuerit huic juveni intestina. Quibus in ventrem reductis, dici vix potest, quantâ lætitiâ perfusus sit hic philosophus; & quâ alacritate numeraverit pretium, quo amissam sanitatem redemerat. Ostendens verè suo exemplo, vasa inania maximè tinnire: &, ante

te victoriam, facile triumphum cani. Sed viros fortes, in ipſo opere, eſſe acres; at ante id placidos.

CAPUT XV.

Præpoſterum ſilentium.

QUàm neceſſe Medicis, inquirere avidè in naturam, ac morem morbi; tam utile ægris omnia nudè detegere. Nocet quippe ſilentium; ſed magis ſimulata veritas: plures namque curat, cui plures fidunt. Et optimè medetur, cui optima notitia. Ecquis enim telis ſuis attingeret, quem non conſpicit, ſcopum? Pugnat certe, Andabatarum more, quiſquis cum ignoto luctatur morbo: agunt nonnulli ſubdolè cum Medico; ſed, ludentes tali ludo, ludunt de proprio corio.

Vidua, Juveni cuidam deſponſa, ſentiens, ob inteſtinum, in inguina, prolapſum, ventrem nihil ampliùs excernere, ſategit omni ope eum movere; ſed ſpe ſuâ fruſtrata, confugit tandem, ſed ſeriùs, ad Medicum: à quo tamen fortè fuiſſet adjuta, modò candidè revelaſſet, quam ſubdolè ſubticuit, naturam ſui morbi.

Sed verita, ne ſponſus fortè reſciſceret, quâ laborabat, herniam, maluit eam clam habere, quàm ſuæ conſulere ſecuritati. Ignara, in medicinâ, maxima eſſe temporum momenta. Et occaſionem ſemel elapſam, difficulter poſtli-

mi-

minió repeti. Quod præpoſterum judicium deploravit quidem ipſa deinceps ſeriò, ſed ſerò.

Jam enim computruerant inteſtina ; & reducta in abdominis vacuum, adeò non ſuſtulere malum : ut potiùs occiderint ipſam ægram. Quale infortunium nimis certè quàm familiare eſt inteſtinis, vel tardè, vel violenter repoſitis.

CAPUT XVI.

Immoderatus Clyſteris uſus.

FIliolæ Gulielmi Evervini, infudit Pharmacopolæ uxor, ob inteſtina à ſpiritu diſtenta, tam frequentes clyſteres; ut in ventre, poſt obitum diſſecto, vix pugillus ſtercoris ſuperfuerit. Argumento certè evidenti, immoderato clyſterum uſu, non ſemper ſubduci ſuperflua; ſed interdùm quoque neceſſaria : quæ tandem cederent indigæ Naturæ in utile alimentum. Sine cujus perenni adminiculo, conſumitur neceſſariò homo, & exhauritur tandem uberrimus, noſtræ vitæ, fons.

CAPUT XVII.

Interior inteſtini tunica, excreta.

DΥσεντερία (quam tormina vocat Celſus) expellit ab inteſtinis, modò cruorem, cum

cum quibuſdam mucoſis ; modò opima ac pinguia ; modò ramenta tunicæ interioris ; modò verò quædam carnoſa : qualia vidit Vir diligens , Hercules Saxonia , æquantia ulnæ longitudinem. Uti nos integram , inteſtini recti , membranam.

Helmerus Chriſtianus , excruciatus impenſe ab acribus inteſtinorum torminibus , ſenſit , ex fervidâ illâ bile , adeò exulcerari ſibi inteſtina ; ut intra octidui curriculum , excreverit infrà , integram illam tunicam , quæ inteſtinum rectum intùs obvelat. Propellebatur autem illa , non confeſtim in pelvim ; ſed , adhæreſcens firmiter podici , nequiit inde convenienter ſeparari , ante exactum biduum.

Quod inſolitum , pendulæ tunicæ , ſpectaculum , perterruit uſque eo familiares ; ut vererentur , ne utique prociderent & reliqua inteſtina. Sed re accuratius perpensâ , ereximus perperàm proſtratos , & convocatis in auxilium , ob affectus magnitudinem , pluribus Medicis , decrevimus communi conſilio , primùm auferre abraſam inteſtini tunicam ; deinde , præter cottidianam , aquæ mulſæ , infuſionem , lacera inteſtina frequenter abluere , clyſtere inſequente , cujus ope etiam , ex toto , tandem convaluit.

℞. Herbarum , veronicæ , agrimoniæ , centaurii minoris , ſcordii , ſingularum manipulum medium. Mercurialis , parietariæ , ſingularum

larum pugillum. Decoquantur ex aquâ plantaginis & vino rubro: & admiſce deinde colaturæ unciis ſex, ſucci apii paluſtris, mellis mercurialis, ſingulorum unciam; myrrhæ, aloës, pulveriſatarum, ſingularum drachmam. Miſce, fiat clyſter.

CAPUT XVIII.

Adeps cottidie ab alvo prodiens.

ALithæa Erpicomia, mulier gracilis, ac tenera, afflicta frequentius, ſive à febre tertianâ, ſive ab obſtructo liene, excrevit tandem, ſingulis diebus, quatuordecim ampliùs menſes, plurimùm flaveſcentis adipis, incumbentis ſtercori, inſtar butyri liquefacti. Sed eâ plerumque copiâ; ut potuiſſet, modò quis illum collegiſſet, replere aliquot vaſcula.

Carbonibus injectus edebat flammam ſatis lucidam; & remanens aliquamdiu in excretis refrigeratis, concreſcebat inſtar durioris adipis. Verùm, quod ſummè admirandum, prodibat ſemper, ſine torminibus, ſine macie, nedum febre colliquativâ: quam tamen plerique Medicorum credebant, in primo acceſſu, infallibiliter ſe animadverſuros; edocti fortaſſis à Galeno, pinguia excrementa fieri à febre, fundente pinguedinem. comm. III. in lib. epid. III. c. LXXII.

Sed ægram coram intuiti animadvertere, ipſam

ipsam non modo non emaciatam; verùm integram à febre, & potissimùm illâ specie, quam sibi fuerant imaginati. Latitante tamen in ventre ipsius occulto aliquo calore, dissolvente, procul dubio, quem hìc descripsimus, adipem. Pinguis quippe excretio producitur ex colliquatione; & illa invicem ex calore immoderato. Vide Galenum. lib. VII. comm. in aph. XXXV. Sed dissolutio carnis, indiget æstu ferventissimo, juxta eundem, comm. III. in lib. III. epid. cap. LXXII.

At unde, quæso, descendit hic adeps? non certe ab interiore intestinorum membranâ: uti quidem perperàm opinantur; nullus enim illic loci adeps. Sed adhæret duntaxat externæ coli tunicæ. Per cujus adapertos poros, licet credant viri eruditi, in dysenteriâ transsudare quædam pinguia; verisimile tamen propterea non est, cottidianam hanc, tot mensium, adipis excretionem provenisse, ab externâ coli tunicâ.

Quin descendit potiùs, ex sententia Galeni, vel ex toto corpore, vel mesenterio, omento, pancreate, aliâve opimâ ventris parte. Doluisset namque aliàs impensiùs: laborasset utique graviore morbo: neque mansisset tam prosperâ ac illibatâ valetudine, etiam post sextum decimum, ab excretione, annum. Uti etiamnum juxta mecum vident Medici, qui illi, id temporis, medicinam fecere.

CA-

CAPUT XIX.

Idem adeps, ab alvo, & vesica.

SEd quid dicimus, de Margaretâ Appelmaniâ, hospitâ publicâ? quæ, septuagesimo ætatis anno, excrevit simillimum adipem; cum per intestina, tum per vesicam; itidem sine febre, macie, aut fluxu colliquativo. Sed non sine immoderato illo ventris calore, à quo derivavimus, prioris exempli, colliquationem. Accessit tamen huic sub finem morbi evidens febris: cujus æstu anile hocce corpusculum adeò emarcuit; ut mors in ipsâ vix quicquam repererit, præter exsuccum, ac aridum cadaver.

CAPUT XX.

Vulnus, latioris intestini, sanatum.

ORtâ fortè inter ebrios rixâ, vulnerabatur graviter, cùm in pectore, tùm in ventre, insignis decoctor Joannes Schram. Penetrante cultri acie in latius, lateris dextri, intestinum. Quod licet ultra triginta horas pependerit extra corpus, jam abundè refrigeratum; reductum tamen tandem in locum suum, rediit nihilominus ad pristinam temperiem, sine ullo corruptionis metu: sicuti inculcat Galenus satis adpositè, lib. VI. aph. LVIII.

Pro-

Profluentibus interim cottidie, per vulneris hiatum, partim fecibus alvinis, partim crudis ac indigestis cibariis. Quibus quantumvis, pro innatâ ingluvie, nimis quàm frequenter se obrueret hic helluo; agglutinabatur tamen non minùs prospere intestini vulnus, ac si habuisset exactissimam vitæ suæ rationem.

At verò, sanato quidem intestino, sed disjunctis interim, discissi peritonæi, oris, incidit tandem, in plagæ loco, in insignem, prolabentium intestinorum, herniam. Quæ negligentiùs habita, degeneravit sexto anno, post inflictam plagam, in tam vehementem gangrænam; ut brevi occiderit hominem, suæ sanitatis verè socordem.

Chirurgus autem, qui vulneri præerat, satagens id invenire in ipsis intestinis, & deinceps fibulâ, vel potiùs suturâ, connectere disjunctas ipsius oras: ampliavit non modò plagam; sed eduxit satis confidenter intestina, quà licuit, ex abdomine. Quæ inconsiderata ipsius temeritas, tantum abest, ut invenerit plagæ locum; & asseruerit ægrum ab herniâ: ut induxerit potiùs intestinis, cùm dolorem intolerabilem; tum frigus propemodùm insuperabile.

Sed dicat quis? cur tam difficilis inventu læsus intestinorum locus? an quia perpetim moventur, & vix momentum servant illum situm, quem invenit ingrediens cultri acies? sive ob naturam motus peristaltici; sive ob adsum-

ptum alimentum, vel ſpiritum ipſa inæquali ter intendentem. Quibus accedit, quod, in obeſis corporibus, reperiatur interdùm tantum carnis ac pinguedinis in abdomine, ut Chirurgo nec oculis, nec digitis liceat ad inteſtina penetrare, nedum acum eò perducere, vel filum ita circumagere: ut requirit illa ſuendi ratio, quam ſatis ſpecioſè, in inteſtinorum vulnere deſcribit Ambroſius Pareus. lib. IX. cap. XXXIV.

Verùm enim verò, diſſecto poſt mortem hoc cadavere, vidimus evidenter, veram obitus cauſſam fuiſſe, ſyderatam herniam. Sed vulnus, ante annos ſex inflictum, coaluerat tam densâ ac firmâ cicatrice: ut vix guttula liquoris per illud ampliùs transſudaſſet. Inſidebat autem id, in ſupremâ, inteſtini coli, regione: prope membraneum illud ligamentum, quod, per longitudinem ipſius excurrens, quaſi robur, ac ſtabilimentum concedit anfractuoſæ ipſius fiſtulæ.

CAPUT XXI.

Valvula inteſtinalis.


AT crebra hæc inteſtinorum mentio, ſuggerit hìc mihi valvulam illam inteſtinalem, quam, aliquoties, in theatro anatomico, propalàm oſtenſam, expedit tandem publici juris facere. Non quò elevem alicujus auctoritatem;

tem; ſed ut vindicem fideliter, ab oblivionis injuriâ, veritatem, nimis diu in profundum demerſam.

Eſt itaque hæc valvula, non tantùm (ut videtur indicare exterior apparatus) annulus villoſus, abſolvens integrum circulum; qui animatus inſtar orificii ventriculi, urgente neceſſitate, ſeſe vel aperit, vel claudit: ſed talis potiùs circulus, ex quo dependet membrana, lata duos digitos; & ita conformata, ut, præter animæ vim, cuicunque viventi parti inſitam, etiam figuræ beneficio, apta ſit occludere ilei inteſtini egreſſum: ante quem pendet, inſtar cortinæ, vel veli alicujus laxioris. Cujus ſimilitudinis ergò vocatur propterea, haud inconcinnè, à Conſtantio Varolio ilei operculum, quaſi tegens, & operiens ipſius orificium. Anatom. lib III. cap. III.

Si quid enim excretorum ab ileo effluit, attollit ſe, concedens illis liberum tranſitum: at ceſſante affluxu concidit illicò; impediens expreſsè, ne quid revertatur iterum, à colo, aut cœco, ad ileum. Planè adinſtar noſtratium catara&ctarum, quarum repagula ſpontè non minùs aperiuntur, quàm clauduntur. Quarumque bipatentes januæ ita conformantur; ut tantum pateant refluxui, cedendo, quantum renituntur fluxui, obluctando.

Imò, quò quid validiùs hanc valvulam premit, eò reprimit ipſa potentiùs; tam arcte ſub-


valvula intestinalis
Tab. x.
f
f
f
f
f
f
g
g
d
d
d
d
h
h
h
l
i
k
k
k
c
c
c
a
b
hh. valvula elevata,
i. ilei initium
kkk circulq
l uexq cum ileo
a. ileum intestinũ
b. cæcum
c c c. colon
dddd valvula pendula
e. ilei ingreßus
ff. colon divisum
gg interior coli tunica

inde occlusa: ut ne tenuissimum quidem transmiserit spiritum. Nisi fortè robur, ac stabilimen ipsius, vel à morbo, vel ab humidâ aliquâ intemperie flaccescat. Velut id aliquandò perspicuè à nobis observatum, in muliere hydropicâ: cui, præ nimio madore, uti reliqua exta, sic quoque acquisiverat hæc valvula, tantam mollitiem; ut vix potuerit manibus tractari, nedum illud officium corpori facere, cui ipsam destinaverat sollicita, ac provida, Natura.

Pendula autem, hujus valvulæ, membrana, ut crassa, ac duplex est: sic quoque apparet oblonga, lata, &, si extendatur, semicircularis. Sed latitudo ipsi admodum dispar est. Etenim quâ ileo respicit, diffundit se laxe, adæquans fermè duos digitos transversos. Sed quo longior hinc recessus; eò utique arctatur pressiùs. Adeo, ut circa intestini medium (eò usque enim excurrit), vel prorsus obliteretur, & desinat in membraneum illum ambitum; qui intrinsecùs disterminat intestinum colon à cœco. Ex quâ inæquali latitudine, sequitur necessariò semicircularis illa forma, quam proponit valvula, arte extenta: uti exprimit fideliter minor figura

Membrana verò hæc, adnectitur superiùs villoso illi circulo, qui colon finit. Sed subtus firmatur, vel potiùs detinetur valide, (quod tamen non patebit nisi sagaci investigatori,) à duabus exilibus membranulis; prodeuntibus

utrimque ex latere illius orificii, per quod tenuia inteſtina ſeſe exonerant in laxiora. Quorum vinculorum uſus eſt, impedire, ne valvula facilè vacillet. Alligant quippe ipſam ileo: ne ſejugata, ob multiformes corporis agitationes, vel divellatur continenter; vel, diſtracta aliquatenùs, excidat protinùs ſuis ſedibus.

Sed inferior valvulæ pars fluctuat libere: quo ſe expeditiùs, cùm attolat, tum deprimat. In quo conſiſtit totum officium, quod corpori humano præſtat, volubilis hæc pars. Cujus, adducto freno, niſi coërceretur cottidiana ſtercoris regurgitatio; erumperet neceſſario quolibet momento, per os, abominanda ventris cloaca: conſpurcatâ indeſinenter illâ parte, quâ divinitatis ſuæ ſemina, aliis communicat anima rationalis.

Quippe ita à Naturâ comparatum eſt: ut, licet à ſuperioribus partibus oriantur inteſtina tenuia; deſcendant tamen propterea non rectà deorſum; ſed expellant excrementa ſua ſurſum: ob ſinuoſa inteſtinorum volumina. Præcipuè verò circa locum hujus valvulæ. Sine cujus impedimento reverteretur ſtercus facilè ad os. Gravia namque naturâ ſuâ feruntur deorſum, maximè in viâ lubricâ ac declivi: quibus accedit, quod inteſtina tendant continenter deorſum, per motum periſtalticum. Cujus naturam deſcripturus Galenus, aſſerit ſatis diſtinctè, ciborum delationem per inteſtina fieri, inte-

ſtinis

ſtinis, circa ipſos, ſeſe contrahentibus. Comment. v. lib epid. VI. cap. XXVII.

Quem naturalem inteſtinorum motum, promovent tam ſeriò, cùm ſeptum tranſverſum, tùm muſculi abdomini incumbentes: ut inclinata coli fiſtula, vix ulla excreta, ab ileo ſibi tradita, foret retinendo; niſi nutanti, ac pronæ ipſorum revolutioni, providè obviam iviſſet, interpoſitum hujus valvulæ obſtaculum.

O fortunatos aulicos! ſi tali, contra relapſum, cuſtodiâ, firmaretur fluxa ipſorum potentia. Non deciderent certè tam facilè à ſummis ad ima. Neque momentanea intervalla attollerent, dejicerentque, tam frequenter, idem, lubricæ dignitatis, faſtigium, fiduciamque alienâ vi innixam.

Sed de his alii: nos in medicâ maneamus palæſtrâ. Vis itaque invenire inſigne hoc, induſtriæ Naturæ, artificium? exſcinde tranſverſè, ex inteſtinis, ſtercore etiamnum repletis, utramque cùm ilei, tùm coli extremitatem. Et conſpicies, in ejus medio, valvulam commemoratam. Potiſſimùm verò ſi infuderis aquam, per abſciſſam ilei partem; quam liberè tranſibit, quicquid liquoris illi obtuleris.

At illam, quam infundes per colon, ſiſtet illicò valvula. Quam propiùs quò conſpicias, divide ſcalpello coli tunicas, ab aquâ etiamnum diſtentas. Et facto initio, à loco ileo oppoſito

 de

deduceris paullatim, ad ipſam vavulam. Quâ vel minimùm elevatâ, effluet illico, quicquid liquoris fuit remorata. Velut ſategimus adumbrare in majore figurâ; in quâ accuratè delineatur pendula valvulæ membrana.

Cujus craſſitiem, latitudinem, nexum cum inteſtino colo, ac fibroſa vincula, quibus utrimque ileo ſubtus adligatur, ſiquidem lubet attentè conſiderare: penetrabis, procul dubio, in abſconditam, hujus arcani, naturam. Et non poteris non celebrare divinam providentiam, & eximia illa ſapientiæ monumenta; quæ in nobis profuſiſſimè conſtituit Deus.

CAPUT XXII.

Convulſio abdominis.

RARò contrahuntur homini abdominis nervi. Attamen frequentiùs, quàm animadvertant Medici nonnulli: confiſi, neſcio quâ, imprudentiâ, quemcunque ventris dolorem, vel fieri à bile acri; vel ob ſpiritum, intendentem inteſtinum colon. Verùm inæqualis ventris diſtentio, & adſtricta, rigidorum muſculorum, contractio, arguunt ſatis perſpicuè, nervos magis, quàm inteſtina pati. Aliàs non contraheretur venter tam inæqualiter; neque latera apparerent tam obliqua; vel muſculi recti adeò rectà introrſum incurvati. Uti luce clariùs

rius videre est, in hac, de quâ hìc loquimur, convulsione.

Matronæ locupleti coacervavit frigidus, ac humidus, ventriculus, tantum crudioris pituitæ; ut saliva, ex ore decidua, repleret cottidie pelvim satis capacem. Sed eo fluxu ad intestina converso, vidimus illa protinùs adeò flaccida; ut, levissimo medicamenti stimulo irritata, excreverint subinde effusissimè. Imò interdum vicies, ex quinis granis radicis mechoacannæ. Quæ tamen, redundantis humoris, copia, (nisi illam interdum exhaurirent medicamenta,) insinuabat sese sensim, in sensiles illos nervos, quos spinalis medulla dispergit, cùm per membranam ventrem succingentem; tùm per musculos illi proximè incumbentes.

Quibus, à crudâ hac materiâ, obsessis, excarnificabat ipsam subinde tanta abdominis convulsio, quanta potuit esse maxima. Imò interdùm ita effera, ac ferox; ut venter videretur, præ cruciatu, quasi disrumpi: præsertim si foret gravida. Sed noctu semper acerbiùs, quàm interdiu. Qui tamen urgens dolor vix unquam ipsam deseruit, nisi expurgatâ ritè caussâ, per radicem mechoacannam: vel discusso acri ipsius vapore, utique & spiritu, præcordia distendente, sive per mithridatium, sub noctem potui datum; sive per clysterem, ante tormentum hoc, maturè infusum.

Quæ curandi ratio evincit certè evidentissimè, inusitatam hanc abdominis convulsionem, originem sumere ex crudâ, ac flatulentâ pituitâ. Ex quâ eundem affectum utique derivat Philippus Hoghsteterus, qui ipsum latissimè descripsit observatione primâ, Decadis quintæ

CAPUT XXIII.

Abscessus inguinum à vulvâ.

UT mares in inguina deponunt jecinoris ac lienis onera; sic mulieres præterea, quicquid redundat circa vulvam. Via autem, per quam decurrit immunda hæcce illuvies, statuitur ab Anatomicis, inferius uteri ligamentum. Quod utrinque descendit in glandulas inguinales. In quibus uti mulieribus interdum apparent tumores à lue Venereâ; sic occurrunt quoque in ipsis, ibidem loci, vel omenti, vel intestinorum herniæ.

Ac proinde non temerè Cornelius Celsus, lib. IV. cap. IV. Si mulieri, cum menstrua non feruntur, sanguis ex ore exit; commodissimum est, cucurbitulam incisis inguinibus ejus admovere. Vis caussam? vix ullibi locorum accedes vel propiùs ad vulvam; vel avertes efficacius efferum illum impetum, quem sanguis uterinus facit, in partes septo transverso superiores. Et præcipuè in caput,

put, quod inſtar cucurbitæ corpori imponitur.

Carbaſia, Vidua honeſta, incidit ex pravo corporis habitu, in menſtrua inordinata, & album uteri fluorem. Quæ duo infirmarunt uſque eò vulvam; ut, collectâ magnâ ſorditie, depoſuerit tandem colluviem ſuam, in inguina. Quorum immundus abſceſſus, in pus converſus, monſtrabat Medicis, quaſi digito, fontem horum ſordium eſſe vulvam. Quâ etiam deterſâ, fuit illicò huic ægræ non tantum meliuſculè; ſed evaſit integrè ex ſalebris, in quibus hactenùs egerat vitam longè miſerrimam.

CAPUT XXIV.

Tabes dorſalis.

TAbes dorſalis, ſeu φθίσις νωτίας, duplex eſt Hippocrati. Altera ab immodicâ Venere: lib. II. de morbis. altera verò à deſtillatione in ſpinam dorſi. lib. de glandulis. Quam utramque ſpeciem lubuit Balduino Ronſæo lumbaginem vocare. Quamquam hæc vox deſignet Feſto, ſolam lumborum imbecillitatem. Præter quam tamen in tabe dorſali videre eſt, cùm dolorem continuum; tùm marcorem inſuperabilem. Quorum naturam minùs ſignificanter cùm exprimat lumborum imbecillitas; ſatiùs erit, ſtare ab antiquitatis ſententiâ, quàm temerè ab eâ deſciſcere.

Do-

Dolorem autem hìc parit acida pituita: dilacerans magnoperè, vel membranam, quæ ſpinalem medullam proximè cingit; vel ipſos nervos, inde oriundos. Sed ſi obſtruantur venæ aut arteriæ, ſive à lumbis, ſive à cervice huc delatæ; vel ob conſtringens frigus, à nimiâ Venere illis impreſſum; ſive ob prolapſum craſſioris pituitæ (cujus maximam copiam equidem aliquandò illic conſpexi): eripitur ægro, non modò conſenſus inter ſuperiores, inferioreſque corporis partes; verùm redditur præterea ſterilis, propter interceptam, decidui ſeminis, materiam.

Neque marceſcit ſolùm ipſa ſpinalis medulla, quæ obſtruitur; ſed contabeſcit utique cum illâ corpus univerſum: communicato paullatim malo, hinc per nervos cerebro; illinc per arterias cordi; uti per venas jecinori. Quorum nobiliſſimorum viſcerum functione evidenter læſâ: torpet neceſſariò corpus; marceſcit animus; & conſumitur miſerabiliter homo.

In quâ tergeminâ, nervorum, venarum, ac arteriarum viâ, invenire quoque eſt viam, inducentem, vel febrem convulſioni; vel convulſionem febri. Siquidem febris ſupervenit convulſioni: diſcutit (ut cum Galeno loquar) æſtuans cordis calor illud frigus; quod lenta, ac viſcida pituita impreſſerat, nervis ſpinalis medullæ.

Quod

Quod ſi verò convulſio ſequatur febrem; vel exaruit ſpinæ medulla, præ febrili incendio; vel acris, fervidæ bilis, vapor, ab accenſo corde, per arterias, illuc effuſus, pupugit tam rigidè ſenſiles ipſius membranas: ut inde ſequatur exitialis nervorum contractio. Potiſſimùm ſi vires exhauſerit præcedens febris. De quâ propterea, ſatis circumſpectè, Hippocrates. lib. II. aph. XXVI. πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γίνεσθαι; ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ. Febrem convulſioni ſupervenire, ſatiùs eſt; quàm convulſionem febri.

Samueli Veſpretio elevabat impurus lien, tot vapores verſus cerebrum; ut inde deſtillaverit iterùm plurimum acrioris pituitæ: primùm quidem in occipitium, ac cervicem; ſed mox inde, in ſpinæ medullam; & potiſſimùm in lumbos, ilia, ac coxæ articulum. Quarum partium immanis dolor excruciavit ipſum tormento tam indefatigabili: ut, amiſſo omni colore ac decore, inciderit in lentam febriculam; conſumentem ipſum, morte adeò tardâ, ac miſerâ: ut ante ejus acceſſum, non ſemel exoptaverit, languentem emittere animam, & reluctantem exſpuere ſpiritum. Quod ipſum etiam, in hoc morbo, obſervavit Auctor libri de glandulis.

Sed ferendum fuit, quod non licuit mutare. Præſertim, labe hac, jam penitùs infixâ, quam ut ceſſerit vel tempori, vel remediis

diis, etiam convenientissimis. Argumento certè evidenti, pervicaci, sacræ hujus fistulæ, tabi auxilia medica esse, non solùm infirma, sed, ausim dicere, nulla.

CAPUT XXV.

Coxæ dolor abscessu sanatus.

UXor generosi alicujus equitis, depositura à partu prægnationis reliquias, excrevit duntaxat purum putum sanguinem; eumque tam copiosum, ut, infirmatis viribus, & exhausto impensè calido innato, tantam inde imbecillitatem contraxerint artus, genio suo fraudati: ut nequiverint à se depellere destillationes, quas nimis quàm frequenter, ipsis transmitteret refrigeratum cerebrum.

Sed præ cæteris infestabatur summoperè coxa; quam trium mensium curriculo, tam miserabiliter excarnificavit acerbissimus dolor: ut aliquando coacta sit, totos quadraginta dies, eidem incumbere loco; neque vel latum unguem inde recedere: quin protinùs deficeret anima; distraherentur nervi; & obrigeret, instar alicujus stipitis, corpus universum.

Ac proinde cubandum fuit assiduò, in latus obsessum: & quidem tam strictè, ut nunquam licuerit illi supponere culcitram plumeam; nedum cubile permutare; vel tantisper insidere

sedili

sedili molliori. Exorto interim, ex adstrictissimo hoc decubitu, tam ardente pruritu, circa coxæ articulum: ut ipsa inde vereretur, non tam gangrænam, quàm omnimodam, depressæ partis, corruptionem.

Paruit tamen necessitati, & cessit, licet invita, dolori inexorabili. Cujus crudelem cruciatum, ubi ne tantulum quidem imminutum irent etiam valentissima remedia; tulit tandem suppetias Deus, expulso immedicabili hoc dolore, per insignem femoris abscessum. In quo tantum puris fuit collectum: ut inde, primo eruptionis die, profluxerint ultra decem vascula.

Quibus aliquoties deinceps repletis, habuit ipsa tandem tolerabiliùs, &, devicto malo tædii plenissimo, recuperavit iterùm corpus habitissimum. Quod licet macies ita labefactaverat, ut piguerit vel loqui, vel se movere; peperit tamen ipsa postmodùm gemellos: vivens non minùs prosperè, quàm unquam ante inflictum infortunium. Verè itaque Galenus, ex Hippocrate, acutos morbos ut per excretionem, sic,„ longos judicari per abscessum. Prog. lib. II.„ sect. LXV.

Sed viderint hìc eruditi, utrum κέδματα significent Hippocrati, vel hunc affectum, vel ejus caussam, vel utrumque. Galenus certè comm. in lib. VI. epid. sect. V. aph. XXII. dicit clarè: Κέδματα Hippocrati esse diuturnas,„ de-

„ defluxiones in articulos; & præcipuè in co-
„ xam. Idemque fermè Hesychius, Erotianus, & alii.

Cum quibus etiam facere videtur ipsus Hippocrates, asserens loco commemorato: κεδμάτον, τὰς ἐν τοῖσιν ὤσιν ὄπισθεν, φλέβας χά-
„ ζειν. Quod interpretatur Hieronymus Mer-
„ curialis, in fluxionibus ad coxam, venas retrò
„ aures secato: quo impediatur scilicet fluxus ad coxam tendens. Nam ad ipsum morbum, coxæ jam infixum, parum profectò faceret sanguis, pone aures emissus. Quem etiam, ejus ergò, à nemine suâ ætate, id loci, detractum affirmat Galenus.

At libro de aëre, locis, & aquis legimus ex-
„ pressè: ὑπὸ τῆς ἱππασίης, ἀυτέες κέδματα λαμ-
„ βάνει, ἅτε ἀεὶ κρεμαμένον ἀπὸ τῶν ἵππων τοῖς ποσίν.
„ Ab equitatione apprehendunt illos κέδματα:
„ nimirum semper propendentibus ex equis eo-
„ rum cruribus. Ubi κέδματα significant vel destillationem; vel morbum inde ortum.

Verùm, libro de locis in homine, indicat eadem hæc vox, ipsum morbum a destillatione inductum; neque tamen propterea verum coxæ dolorem. A quo illic loci evidentissimè separatur. Quasi significans quidem similem,
„ sed nequaquam eundem affectum. Ac
„ proinde addit satis consideratè: ἐν ᾗ ὀλίγον
„ ῥεύσῃ, ἰσχιάδα; καὶ κέδματα ἐποίησεν, ἐπὴν ῥέον
„ παύσηται. Id est, si parùm fluxerit, producit do-

dolorem iſchiaticum; & κέδματα, ſive diutur- „
num articulorum dolorem, ubi fluere deſiit. „
Sed ſufficiat nobis, monſtraſſe hunc fontem ſitientibus, aperiant eum latiùs, quibus plus otii.

CAPUT XXVI.

Coxa ferramento exuſta.

JAcobus Vincus, Legatus, id temporis, Principis Lansbergii, collapſus in ſimilem coxæ dolorem, nihil non molitus fuit, quò evaderet hunc cruciatum. Sed remediis parùm, aut nihil, proficientibus, neque affulgente ullâ ſanitatis ſpe, ullove, ſalutaris abſceſſus, indicio: decrevit vehementi morbo ſuccurrere remedio æquè vehementi; & maturè devenire ad ferramenta candentia, ceu ultimum, inveterati morbi, remedium. Vide Hippocratem. lib. VI. aph. LX. & Celſum. l. IV. cap. XXII.

Fecitque animoſus hic Juvenis Chirurgo copiam adurendi, non tam cutem coxæ impoſitam; quàm exulcerandi eodem ferro carnem, ad ipſum uſque os. Satagens, hac ratione, elicere materiam deliteſcentem, ſub membranâ oſſi circumdatâ. Cui operi operam ſatis rigidè dante Chirurgo, dici vix poteſt, quâ fortitudine, vel potiùs animi patientiâ, pertulerit hic æger candens hocce ferramentum; non curſim, ſed lentâ manu, femori identidem impoſitum.

Quæ inuſitata crudelitas, perterruit magis fermè Medicos, quàm ipſum ægrum. Cui ſtabat ſententia, quidvis potiùs ſemel perpeti; quàm perpetim torqueri, à tam immani carnifice. A quo tamen ipſum, ex toto, vendicavit crudelis hæc medicina. Non quidem per dolorem, qui, per ſe, dolorem non tollit: velut diſtinctè docet Galenus; lib. VI. epid. comm. II. ſect. IX. ſed per perenne, profundi ulceris, profluvium. Quod ſanè tamdiu ſervavit, donec, evacuatâ omni materiâ, fuerit extra omnem recidivæ metum.

CAPUT XXVII.

Vulnus ſpinalis medullæ.

VUlnera lethalia dividuntur bifariam: quædam occidunt ſemper; quædam verò frequenter. Prout vel penitiùs deſcendunt, vel gravioribus implicantur affectibus. Priori ſpeciei adnumerat Celſus, vulnus ſpinalis medullæ. Cujus periculum propterea propoſiturus, „aſſerit: ſervari non poſſe, cui ſpinæ medulla „percuſſa eſt.

Filius Lamberti Erpenii, ictus pugione, in ſpinæ medullâ, concidit repentè in terram, cum alvi, ac veſicæ, excretionibus ita impeditis: ut nihil inde redderetur, niſi elicitum, à vehementiſſimis catharticis. A quibus tamen, paullò pòſt, ne tantulum quidem movebantur hæ

par-

partes, redditæ ſenſim ita ſtupidæ; imò, ob reſolutos nervos, illis deſtinatos, tam inſenſiles: ut nullis obedierint remediis.

A quâ omnimodâ ventris ſuppreſſione, intumuere non modò inteſtina, à ſpiritu, ac retentis excretis impensè intenta; ſed, propter oppreſſa viſcera, accendebatur uſque eò cor; & diſtendebantur tantoperè nervi: ut inciderit inde non modò in vehementem febrem; ſed in tam frequens animi deliquium: ut primùm ſudaverit affatim; mox verò alſerit ipſi totus corporis habitus. Et quidem hæc omnia adeò celeriter: ut tertio, poſt inflictum vulnus, die exceſſerit è vitâ; frigido madore undiquaque obſitus.

CAPUT XXVIII.

Fiſtula inſanabilis.

FIlia pictoris Nicolai Æliæ, infeſtata aliquamdiu, acerbo lumborum dolore, incidit tandem in moleſtam inguinis fiſtulam: quæ perenni ſuo curſu, uſque eò conſumpſit tenelli corpuſculi vires; ut brevi exceſſerit è vitâ. Cujus mortis cauſam inquiſitura Anatome invenit evidentem cariem in coſtâ ſpuriâ; emittentem continenter, in ſubjectas carnes, tantum acrioris ichoris: ut, illis eroſis, prodierit inde fiſtula, ut longa & anfractuoſa; ſic eludens quamcunque opem medicam

Quam artis impotentiam, non raròquoque videre eſt, in fiſtulis prope anum exortis. Quarum principium excurrit nonnunquam altiſſimè, ſive ad lumbos; ſive thoracis vertebras; imò, interdùm, ad ipſas ſcapulas: quas ſcutula operta vocat Cornelius Celſus. Quibus in locis, equidem non ſemel offendi, fontem remotiſſimarum, & immedicabilium fiſtularum.

Quarum inacceſſa caries, quo minùs exploretur ſpecillo, impedit tortuoſus ipſarum flexus Qui etiam remoratur clyſteres, eluendo ulceri dicatos. Excluditque manum, exemturam os intus vitiatum. Quo tamen minùs maturè ſublato, tollitur immaturâ morte homo: & obſtat obnixè, ne à Medico ſanetur fiſtula, à remotiore carie originem trahens.

Cujus oras, licet forfice diducas & amplies (quod tamen ad cutaneas fiſtulas ſummè utile), operam nihilominùs ludes; nec pervenies unquam ad remotiſſimum, ſinuoſorum flexuum, principium: à quò deſcendunt tot ramuli, & tam frequentes rivuli, per profundiores muſculos, ac tendines; ut, licet ſpecillum vel dexterrimè immittatur, in tortuoſam ejuſcemodi fiſtulam: neutiquam tamen attingat, nedum immutet, vel tollat cariem, genuinam, perennis ulceris, cauſſam.

CA-

Caput XXIX.

Lethalis lumborum tumor.

MUlieribus gravidis, ut plurimum damni dant, repentinus terror, & inopinatum infortunium; ſic nihil æquè illas offendit, atque importuna repulſa, aut gravior aliquis lapſus: lædens impensè, vel hanc, vel illam corporis partem Cujus offenſam, licet flocci ſæpenumerò faciant prægnantes, plurimum tamen detrimenti capit inde fœtus, etiam debitè formatus. Quem talia infortunia tam turpiter nonnunquam deformant, in ipsâ vulvâ; ut nulla arte id poſtmodùm diſpellas. In quo certe apparet imperveſtigabilis Dei potentia: cui æquè facile eſt, hominem immutare, ac formare.

Paupercula, ſeptimo menſe, prægnans, cecidit ſupina in lumbos; ſed ſine evidenti cutis noxâ. At infans, in lucem editus, habuit inſignem tumorem, in lumbis: quo adaperto, effluxit ipſi quidem frequens aqua; ſed non minùs ipſa vita. Quâ ſublatâ, vidimus ſpinæ vertebras, ut laceras; ſic latè, à ſe invicem diſparatas, & nervos, ſpinalis medullæ, tam perplexo errore, per tumorem diſperſos: ut vix ullibi poſuiſſes ſcalpellum, ſine manifeſto vitæ periculo. Quam calamitatem ſiquidem reformides, Chirurge, cave ſis impro-

vidè unquam aperias, quod tam facilè occidit hominem.

Obtulit se nobis, haud diu pòst, simillimus tumor; sed dissolutus in ipso partu, eventu tamen æquè infelici: cùm ob gangrænam, consumentem illicò effractas, laceri tumoris, oras; tum ob denudatos nervos, per tumorem passim dispersos; quos circumfluus aër, adeò immutaverat; ut non licuerit infanti vitam prorogare, ultra diem tertium.

Sed notent Chirurgi periculum, quod hìc animadversum, in lumbis; utique evitandum, in molli illo tumore, qui insidet nonnunquam dilatatis calvariæ suturis. In quem novacula directa, lædit facillimè cerebrum, illic effusum. Et nihil sequiùs cogitans, noces illi, cui veneras auxilio. Quoad ejus itaque, in tantis tenebris, fieri poterit, utere acri circumspectione; & confuge potiùs in tumore, tam ancipiti, ad emplastra, ac fomenta discutientia, quàm ad sectionem, vitæ humanæ adeo perniciosam.

CAPUT XXX.

Spina dorsi bifida.

ADdam duobus hisce exemplis & tertium; sed accuratiori bilance, ab Anatome, pensiculatum. Tumorem videlicet rapiformem, ibidem loci, fœtui, in vulvâ, enatum; ob rapam, prægnanti matri, improvidè denegatam.

Spina bifida

Tab. XI.






fig. 1
a. Spina dorsi
bbbb. Spina bifida
c. Cavum tumoris.

fig. 2
d.d. Spina exempta
eee. divisio spinæ
f. cavum tumoris

tam. Cujus repulſæ ergò, lumbos ſuos ubi percuſſit, mulier animi impotens, læſit tantoperè tenellum, fœtus ſui corpuſculum; ut inde, in lumbis, enata ſit ipſi inſignis rapa. Quam, anguſtiori pediculo innixam, quò auferret Chirurgus: conſtrinxit eam arctiſſimo filo; deinde ſatagens emortuam ſcalpello excidere. Verùm antequam res eò devenit, jam emoriebatur infans.

Cujus defuncti cadaver ubi perſcrutata fuit Anatome: vidimus ſpinæ medullam planè laceram; & nervorum propagines tam variè, per tumorem diſperſas: ut non fuerit in manu medicâ, excreſcentiam hanc, quocunque modò, demere; quin protinùs demeretur & ægro vita. A quâ ſævitiâ propterea ſedulò abſterrendi erunt Chirurgi; quotiens ſe offeret ſimillimus tumor, jam ſexies nobis viſus.

Diſpeſcebatur autem vitiata hæc ſpina, in duas æquales partes; ab ultimâ thoracis vertebrâ, uſque in latera oſſis innominati: tegente hiulcum hunc hiatum peritonæo. Per cujus membranas, diſpergebantur copioſiſſimi nervi, extra orbitam ſuam delati. Quam diviſæ ſpinæ figuram, ut ſummè deformem, curavi tamen exactè æri incidi: ne tumorem hunc improvidè aperiant Chirurgi; ſed vitent obnixè ignominiam, infallibiliter inde ipſis eventuram.

CAPUT XXXI.
Vulva bili innatans.

ADpositè profectò, Aretæus Cappadox. lib. acut. II. cap. XL. In mediis ilibus,, mulierum vulva posita est: muliebre viscus,, animalis fermè naturam adeptum. Movetur,, quippe per se, vel versus illia, ac jecur; vel thoracem, aut alia viscera. In quibus excitat sæpenumerò infinita incommoda, defatigantia nonnunquam ingenia etiam acutissima. Sed prout variant ipsius morbi, ac symptomata; pro eo etiam discrepat frequenter ipsius situs: modò uni loco rigidè adstrictus; modò verò vagus. Quæ discrimina producuntur à ligamentis ipsius, vel intensis, vel remissis. Quorum ope cùm adligetur vel ilibus, vel inguinibus; sequitur necessariò, ad illorum motum, vel sursum, vel deorsum, vel obliquè trahi vagum ac errans hocce viscus.

Vultis evidens fluctuantis hujus motus exemplum? considerate attentè, formidabiles uteri suffocationes: sed potissimùm, insignem illum tumorem, quem in anu nostri gerontotrophii, juxta mecum, videre Medici quam plurimi. Elevabat is latus dextrum, ipso illo loco, quem jecinori destinavit Natura: cum tubere manifesto; & dolore satis vehementi; imò cum tantâ partis gravitate, ac distentione: ut multi

crediderint, ipſum jecinoris viſcus, in eam excreviſſe molem.

Sed ſcalpellum, poſt mortem, cadaveri adhibitum, docuit luce clariùs, tumorem hunc, non jecinori, ſed vulvæ adſcribendum. Relaxatis namque ligamentis, attraxerat illa tantum bilis vitellinæ in ſe; ut, inde diſtenta, adæquaret caput pueri, vel bimi, vel trimi. Innatans etiam eidem bili: quam, inſtar alicujus gelatinæ, per inteſtina vidimus ubertim effuſam. A cujus, congelatæ maſſæ, lentore ut originem traxit morbus, duodecim annos ægram infeſtans; ſic veriſimile eſt, continuum ipſius dolorem fuiſſe, ex acri eroſione bilis.

Quæ etiam plurimum damni dederat & reliquis extis, ſed inprimis meſenterio, cujus membranas impensè inflammaverat; uti quoque & veſicam, pure repletam. Non vanè ergò Celſus: „Medicinam eſſe artem conjecturalem: & conjecturæ rationem talem, ut, cùm „ſæpiùs aliquando reſponderit; interdùm tamen fallat nos. Et ne fluctues ſemper incer-„tus, firma te Anatome. Quæ licet parùm proſit mortuis, plurimum tamen juvat viventes: inciſuros aliàs facile, in ſimilia infortunia. Quocirca verè idem Cornelius „Celſus: Incidere mortuorum corpora diſcen-„tibus neceſſarium. Auſim equidem addere, etiam medicinam facientibus.

CAPUT XXXII.

Hydrops uteri.

AEtius, deſcripturus contrac. med. tetr. IV. ſer. IV. cap. LXXIX. hydropem uteri, aſſerit: generari aliquando in ipſo, corpuſcula quæ-,, dam, veſicæ fellis ſimilia. In quibus humor col-,, ligitur, qui effuſus, viſcidus, ac aquoſus eſt.,, Quales veſicæ interdùm quoque occurrunt in meſenterio, præſertim eorum, quos peſſumdedit hydrops. Sed exprimit hic auctor propriè illam, molæ uterinæ, ſpeciem: quam ſcriptores alii nominant aquoſam. Cujus ſpecimen, equidem bis, junioribus Medicis oſtendi.

Uxor Philippi Borealis, afflicta aliquamdiu menſtruis inordinatis, peperit tandem, neſcio quam pinguem maſſam; continentem in ſe, innumeras veſiculas: refertas partim aquâ croceâ; partim ſolo ſpiritu. Excernebatur autem, non confertim, ſed fruſtulatim. Sed partes hæ fuere tam frequentes, ut repleverint fermè integram ejuſcemodi ſitulam, quâ aquam hauriunt mulieres noſtrates.

Quâ molâ excretâ, effluxit utique tantum aquæ, ac ſanguinis, ab irritatâ vulvâ: ut defecerit crebriùs anima. Quæ virium proſtratio, etiam occupavit aliam illam mulierem, quam vidi ſimillimam depoſuiſſe molam. Sed utraque convenienter refocillata, recuperavit brevi priſti-

ſtinam ſanitatem: pariendo deinceps non minùs proſperè, ac ſi nihil vitii inde manſiſſet vulvæ.

CAPUT XXXIII.
Fungus ex vulva exciſus.

FUngum, primùm quidem indolentem vident Medici; ſed mox non ſine alicujus doloris ſenſu. Qui eò plerumque fit gravior; quò plus æſtuet, à præaſſatâ bile. Cujus uberior affluxus, excitat in ipſo, non modò dolorem, pruritum, ac inflammationem; ſed interdum utique livorem, & poſt illum, veram carcinomatis naturam. Uti evidenter demonſtrant mammæ, lingua, labia, guttur, vulva, aliæve partes: vel raræ, ac teretes; vel glandulis ita refertæ: ut facilè degenerent in fungos, proximum, carcinomatis, ſubjectum.

Ex cancroſo oris fungo, ſequitur, præter ardoris, ac doloris ſenſum, frequens, ac moleſtum illud ſputum: quod Hippocrates in coacis prænotionibus, c. XVI. aph. XXXVI. πτυαλισμὸν vocat. Cujus naturam aſſerit in eo „conſiſtere: quod præcedat pus, ex thorace e„rupturum. Sed in uliginosâ noſtrâ Hollandiâ, terminat plerumque, ceu fidiſſima criſis, febres etiam vehementiſſimas. Utique variolas internas, & interdum contumaciſſimos, obſtructi lienis, affectus. In quibus nonnunquam ejuſ-

ejuſcemodi ptyaliſmus excurrit, ultra menſis curriculum.

Quod ſi verò fungus aliquis vulvam occupet: irritat illam continenter; & effundit menſtrua ipſius non minùs copiosè, ac ſi inſtaret verus partus: à quo tamen fixus hic tumor minimè quùm expellatur; neceſſe eſt tandem confugere ad ſcalpellum; & ejus ope radicitùs evellere, quod nequiit exſtirpare irritus ejuſcemodi partus.

Sed artis eſt, talem ſectionem vel audere, vel ritè perficere, in tam obſcuris tenebris. In quibus tamen equidem illam bis vidi, non minùs ſecurè inſtitutam; & fungum ejus loci à Bernardo Ollulario, Chirurgo dexterrimo, ſine ullius partis offensâ, non ſecùs ex vulvâ exciſum: ac ſi ſub dio, & in loco maximè obvio, ſcalpellum ſuum direxiſſet.

Matrona pia, ac verecunda, laceſſita aliquamdiu ab immodico menſtruorum profluvio, incidit tandem in urgentem urinæ difficultatem: & ex illâ, quaſi in veri partus conamina. A quibus licet nihil expelleretur ſolidi; dilatabatur tamen inde uſque eò anguſtum vulvæ os: ut obſtetrix, in auxilium vocata, potuerit illic ſentire fungum vulvæ, tam firmiter baſi ſuâ adnatum; ut nullâ vi inde dimoveretur.

Quâ propterea deſperatâ, itum fuit ad Chirurgum, jam nominatum: qui (exploratâ convenienter tumoris naturâ) ſcalpellum ſuum

nec

nec timidè dimiſit in ſinum pudoris; nec infeliciter excidit fungum hunc uteri, æquantem magnitudine ſuâ ovum gallinaceum. Mirabantur amici præſentes, hinc fiduciam ægræ, aliàs maximè verecundæ; illinc verò, non minus audaciam ſecantis, aggredientis tantâ animi præſentiâ, tam inauditum, ac inſolens opus.

Cujus ope, ubi exemiſſet fungoſam hanc excreſcentiam: ceſſabant illicò dolores, menſtrua inordinata, ſed præcipuè indefatigabiles illi conatus, quibus continenter ſtimulabatur uterus, ad expellendum onus, plus æquo ſibi moleſtum; quod tamen poſt anni curriculum ſenſit iterum illic increſcere. Sed mutabatur brevi in pus: quocum fruſtulatim ubi excideret, liberavit ipſam a repetendâ ſectione, ſed nequaquam à continuo fœtore, vehementibus anguſtiis, & frequentibus animi deliquiis. Quorum ſymptomatum ergò, neceſſe habuit deinceps integrum decennium, immundam hancce vulvæ illuviem, aliquoties abluere per inſequentem clyſterem.

℞. Herbarum, plantaginis, boni Henrici, ſingularum manipulum. Solani, pyrolæ, veronicæ, ſingularum manipulum medium. Seminum, lactucæ, cydoniorum, ſingulorum drachmas duas. Decoquantur ex aquâ hordei, admiſcendo novem ipſius unciis, ſucci ſemper vivi majoris, unciam unam; mellis roſac. uncias duas,

duas; myrrhæ, drachmam mediam: miſce, fiat Clyſter uterinus.

CAPUT XXXIV.

Major fungus ibidem exciſus.

GErtruda Turrita, vidua quinquagenaria, geſtans in utero, extra omnem prægnationis ſuſpicionem, ſimilem, vel potius majorem, fungum; cum pari partus conamine, neque diſpari menſtruorum profluvio: uſa fuit ejuſdem Chirurgi operâ; ſed ſucceſſu feliciore. Subduxit namque illi, ſine ullo recidivæ metu, tumorem hunc adeo magnum; ut æquaret pugnum humanum. Foris craſſâ ac densâ membranâ obvolutum; ſed intus album, inſtar adenum, vel teſticulorum virilium.

Venæ autem, quæ diſpergebantur per excreſcentiam hanc; continebant ſanguinem adeò obſcurum ac nigrum; ut, procul dubio, brevi degeneraſſet in naturam carcinomatis. Cujus ſpecimen memini, me aliquandò propalam oſtendiſſe Medicis, ac obſtetricibus, in vulvâ cujuſdam mulieris, à cancro uterino, crudelem in modum, occiſæ.

Quæ, in vivis dum foret, conquerebatur aſſiduè, non modò de inordinatis menſtruis, vago pruritu, ac oberrante ardore, ſed potiſſimùm de crebris animi deliquiis: quæ tam frequenter ipſam invaſere; ut tandem miſerrimè ab

Excrescentia uteri.

Tab. XII.



a a a a basis utero adnata
b.b.b.b. pars gibba

ab illis obrueretur, factâ Medicis officiosâ cadaveris copiâ.

In cujus vulvâ, vidimus delituisse tumorem, ut lividum, ac atrum; sic cruore, ac sanie undiquaque perfusum. Adhærescebat autem membraneis suis filamentis, tam arctè, vulvæ tunicis, ut non potuisset inde eximi, sine scalpelli auxilio. Vide Victorem Trincavellum, lib. XI. cap. XV. Aretæum, acut. lib. II. cap. XI. & Hieronymum ab Aquapendente. operat. chirurg. cap. LXXXV.

CAPUT XXXV.

Τειβὰς, *sive fricatrix.*

QUamvis virga muliebris (quæ κλειτορὶς vocatur Ruffo Ephesio, lib. I. c. XIII.) delitescat communiter, in sinu pudoris; prodit tamen hæc ipsa, quibusdam subinde, tam longè foràs: ut aut credantur imperitis commigrasse in viros; aut satagant ipsæ propterea, lasciviùs cum aliis versari mulieribus. Quâ nefariâ libidine quæ se polluunt, vocantur Græcis τειβάδες; & Latinis fricatrices. Quas scribit Cælius Aurelianus, lubentius misceri cum fœminis, quàm cum maribus. lib. IV. tard. pass. cap. IX.

Henrica Schuria, mulier virilis animi, pertæsa sexus sui, induit vestes viriles: &, profecta in militiam, meruit aliquamdiu, in obsidione

ne Sylvæ Ducis, ſub Frederico Henrico, Celſiſſimo Arauſionenſium Principe. Sed domum reverſa accuſabatur perditæ libidinis; ob clitoridem, extra ſinum pudoris, adeò interdum ſeſe efferentem: ut conata fuerit, non ſemel, libidinoſiùs laſcivire, cum aliis mulieribus (quod κλειτορίζειν appellant Græci); imò illas ita atterere, ac fricare (quod τρίβειν nominant iidem); ut cuidam viduæ, cujus deſiderio impensè flagrabat, uſque eò placuerit deteſtanda ipſius impudicitia: ut (niſi per leges ſtetiſſet) lubens ipſi nupſiſſet. Ne dicam lubentiùs, quam marito ſuo, jam defuncto; ex quo tamen ſex ſuſceperat liberos.

Habuit autem hæc τριβὰς, naturalia ſua, ſaltem quod ad externam faciem, haud aliter conformata, ac aliæ mulieres. Sed intus percipiebatur evidenter (uti quidem teſtabantur tres obſtetrices), paullò ante urinæ iter, glandulosa aliqua caruncula, quam clitoridem vocant Medici. Quæ, licet in aliis fœminis, vix unguis exprimat magnitudinem; dicebatur tamen in ſalaci hac fricatrice, accedere ad longitudinem dimidiati digiti; &, craſſitudine ſuâ, haud malè referre colem puerilem.

At verò, licet clitoris hæc, foris nullum ſui perpetuo faceret indicium: apparebat tamen interdum, præſertim ubi vel difficulter micturiret; vel percita Veneris œſtro raperetur impenſiùs, in illicitam hancce cupidinem. Quo tem-

tempore dicebatur hæc glandula, extra naturalia ipsius protuberare, vel adinstar dimidiati digiti; vel interdum etiam longiùs: prout vel majore, vel minore, in mulieres, exardesceret amore.

Quod impudicum mulierum genus, scribit celebris Jurisconsultus Joannes Paponius, morte puniendum: l. XXII. tit. VII. arest. II. sed hæc τριβὰς, clementiorem nacta Judicem, cædebatur duntaxat virgis, &, relegata in exilium, separabatur longissimè à nequitiæ suæ consorte; videlicet illâ viduâ, quâcum libidinosius vixerat. Quâ utique punitâ, sed in urbe retentâ, videbatur abundè dissolvi illicitus, detestandæ libidinis, thalamus.

CAPUT XXXVI.

Menstrua puellæ quadrimæ.

MEnstrua, ut rarò feruntur mulieri, post annum quinquagesimum; sic vix proveniunt, ante annum quartum decimum. Quamvis non desint, quibus profluvium hoc intervenerit vel octavo, vel nono ætatis anno: uti vidit Joannes Fernelius; pathol. lib. VI. cap. XVI. imò interdum etiam quinto. Teste Hercule Saxoniâ. pract. l. VI. cap. XXXIII.

Quibus annis, vident etiam Medici, nonnullas virgines incidere, in vehementissimas uteri suffocationes; & nonnunquam in proflu-

via menstruorum adeò effera : ut non minùs indigeant ope medicâ, ac si forent adultæ, & plenis nubiles annis.

Sed supra fidem propemodùm est, filia cujusdam tabellarii, cui à quarto, in octavum ætatis annum, periodicè ubi fluxissent menstrua: accidit fortè, ut, illis suppressis, omnis ipsorum sanguis conversus sit in caput. Producens illic primùm quidem dolorem dentis; sed mox sordidum, ac sinuosum, gingivarum ulcus; & tam pertinacem inferioris maxillæ cariem: ut non nisi tardissimè potuerit ulceris cavum carne iterùm impleri, & convenienter cicatrice obduci. Licet nihil non molitus sit nobiscum, Vir sedulus, Daniel Arminius, Societati Indicæ à Medicinis.

CAPUT XXXVII.

Partus monstri bicipitis.

INter partus vitia, sicuti grave, infans in pedes conversus; *ἄγελππαν* vocant Græci: sic gravissimum, eosdem pedes esse, vel plures duobus; vel situ dispares. Quam deformitatis speciem, obtulit nobis aliquando, sutoris uxor. Quæ paritura biceps monstrum, enixa fuit primùm duos pedes; sed tertius, præter omnem naturæ legem, natibus innatus, injecit tantum moræ partioni: ut necesse habuerit, præter obstetrices, implorare opem chi-

Monstrum biceps.

Tab. XIII.



chirurgicam; quò, unco ferreo, extraheretur, è vulvâ, renitens hocce monſtrum.

Erat autem id (uti etiam proponit ſchema æri inciſum) biceps; cum tribus brachiis; totidem pedibus; quatuor manibus; & duabus papillis, natibus utrimque impoſitis. Deforme profectò ſpectaculum. Attamen obſtetricibus inſigne documentum, opitulandum cuicunque partui; &, deficiente manus auxilio, confugiendum maturè ad uncum ferreum, ceu ſacram anchoram, & ultimum, difficilis partus, remedium. Velut, præter Hippocratem, planiùs liquet, ex Latino ipſius Genio, Cornelio Celſo. lib. VII. cap. XXXII.

Vide Mr [illegible]

CAPUT XXXVIII.

Diſſectio Monſtri bicipitis.

SEd quid omitterem hìc, ſimillimum monſtrum, coram Magiſtratu, in curiâ à nobis diſſectum? puellam videlicet bicipitem; cum tribus pedibus; ſed brachiis quatuor. Artubus verò, ac capitibus, ut ſeparatis à ſe invicem; ſic ventribus contrà, ac thoracibus, tam arctè in unum coalitis: ut ne lynceis quidem oculis, ullum, in illis, obſervaſſes diſcrimen.

Diſſectâ autem monſtri hujus cute, apparuit conſpicuè (licet pridie ejus diei lucem primùm adſpexiſſet), ſub illâ, plurimum albicantis adipis. Quamvis ſecùs videatur, in recenti

ejuſmodi fœtu obſervaſſe, diligentiſſimus alioqui Anatomicus, Caſparus Bauhinus. Jecur erat ipſi duplex, cum duplici fellis veſiculâ. Et venæ ipſius, tam perplexo errore, inter ſe intricatæ



ac confuſæ: ut non licuerit quicquam, diſtinctè ſaltem, in illis notare.

Thoraci erant duo corda ſejugata; incluſa tamen uno involucro, & innatantia eidem

aquæ. Sed cuilibet ſuus erat pulmo. At in ventre una duntaxat vulva, unuſque lien; ſed is adeò rubicundus, ac floridus: ut videretur accedere ad naturam jecinoris. Vaſa autem umbilicalia deſinere hinc in diffiſſam jecinoris portam; illinc verò, bifido ductu, in arterias iliacas & veſicæ fundum. Quarum partium diſtributio delectabat ſummoperè Magiſtratum; quod ex illâ clarè conſpiceretur: quî vitam ac alimentum, à matre, traheret fœtus, vulvæ etiamnum incluſus.

CAPUT XXXIX.

Coles incurvatus.

CIvi Campenſi, Veneri operam daturo, incurveſcebat continuò, tam rigidè media colis pars; ut cogeretur multoties ab incepto deſiſtere. Sed ſine dolore, ullove nodulo: quem huic affectui, ſolent promiſcuè tribuere, qui de illo ſcripſere, Medici. Niſi fortè nodulum vocent, non conglomeratum aliquod tuberculum; ſed exilem duritiem, impedientem, ſi non integrè, attamen aliquatenùs, muſculos colis, dilatationi deſtinatos. Quale certè impedimentum in hoc ægro fuit obſervare; ſed vix dignum noduli nomine.

Quod tamen obſtaculum, ſive fuerit à frigore, ſive ab affluxu alicujus humoris, in cauſſâ fuit: quò minùs, vel æqualiter erige-

geretur coles; vel inchoatâ libidine, ex voto, frueretur æger. Cui incommodo opem obnixè imploranti, consuluit mecum, Vir eruditus, Gerardus Ryckius: ut, præmissis ritè catharticis, uteretur nonnunquam balneo humido, ac oleo leni.

Quorum remediorum eventum licet inviderit, utrique nostrum, loci remotioris distantia; credibile tamen est, spiritum, partem hanc plus nimio distendentem, lentissimè fuisse discussum: præsertim, cùm hoc ipsum, in eâdem hac colis incurvatione, (quæ flatulentæ convulsionis species est,) luce clariùs deinceps licuerit videre, in viro maturæ ætatis; non nisi admodùm tardè, etiam per optima remedia, ab hoc vitio, liberato.

CAPUT XL.

Pediculi pubis.

JUveni Brabantino, plurimum vagi, & oberrantis pruritus, in pube ubi fieret; vidimus tandem illic tectè delituisse, aliquos pediculos; figurâ rotundos, sed in dorso nigrâ maculâ notatos. Ad hæc, pedibus suis, cuti tam firmiter accretos: ut nequiverint inde avelli, sine scalpello. Quæ tamen sordida ac immunda colluvies, ne, semel sublata, iterùm facilè recurreret; imparata fuere insequentia remedia,

dia, quibus etiam radicitùs evulſum fuit moleſtiſſimum hocce malum.

℞. Succi foliorum azari, drachmas duas cum dimidiâ. Oxymellis ſimplicis, unciam mediam. Aquæ hordei, uncias duas. Miſce, fiat vomitorium. Quo ubi elicuiſſemus pituitam, in ventriculo ſtabulantem: movimus deinde alvum; & impoſuimus feliciter, loco affecto, fomenta ac linimenta, ſubtus notata.

℞. Ariſtolochiæ rotundæ, unciam. Veratri albi, unciam mediam. Herbarum abſinthii, marrubii, abrotani, ſingularum manipulum. Seminum lupinorum, & ſtaphyſagriæ, unciam mediam. Nitri, drachmas duas: coquantur ex lixivio diluto; & admixtis, colaturæ libris duabus, aceti ſcyllitici unciis quatuor, fiat fotus. Quo convenienter deterſo, illinebatur pubis regio hocce unguento.

℞. Seminis ſtaphyſagriæ, unciam mediam. Radicum veratri albi, aluminis, ſingulorum drachmam. Argenti vivi ſublimati, ſcrupulum. Saponis nigri, drachmas duas. Axungiæ porcinæ, quantum ſufficit. Miſce, & fiat litus.

CAPUT XLI.

Mors ex flore calcis.

VIr ſplendidus, cœnatus opiparè, incidit repentè, cum totâ familiâ, quæ eidem accubuerat menſæ, in vertiginem, ardorem gut-

gutturis, vomitum, præcordiorum anguſtiam, aliaque præſentis veneni indicia. E quibus ſuccreſcere protinùs neſcio quas non ſuſpiciones. Sed eventus, fidus rei incertæ interpres, docuit perſpicuè: nec ab Ancillâ, conjectâ tamen in vincula; nec ab alio aliquo, cibariis quicquam malitiosè fuiſſe permixtum. Verùm ſponte ex pariete, recens illito, in patinam decidiſſe, ſulphuream illam calcis efflorefcentiam, quæ copioſiſſimè ſtabulabatur illìc loci, ubi id temporis adſervatæ fuere cupediæ, ſecundis menſis deſtinatæ.

Factum quidem fuit, ſatis ſedulum, periculum: utrum, in cibo jam diſſoluto, reperiretur vel arſenicum; vel argentum ſublimatum (quæ duo veneni genera noſtratibus potiſſimùm nota). Sed nec apparuit, in vaſis fundo, conglomeratus arſenici pulvis; nec tingebatur albo colore aurum, ſuſpecto liquori aliquoties immiſſum. Quorum neutro oculis occurrente, judicatum fuit, deteriorem hanc cibi conditionem, veriſimiliter originem traxiſſe, ex commemorato calcis flore.

Ex cujus igneâ vi, mirum certè haud fuerit, accenſas fuiſſe fauces, perturbatum ventriculum, eroſa inteſtina, contractos, præ ſiccitate, nervos; aliaque excitata, quæ nunquam conſpiciuntur, niſi ab exurente ardore. Qui profectò in hoc calcis flore, adeò clarè ſe in conſpectum dedit, ut intra paucas horas peſſum de-

de-

derit infantem ejuſdem familiæ, aliàs ſatis valentem: evadentibus reliquis, vel per vomitum materiæ noxiæ; vel citam alvum; vel per antidota, diſcutientia malignos, acrioris veneni, vapores.

Sed, præ cæteris, miratu digna fuit materfamilias, alioquin ita debilis ac infirma: ut, quæ antea quinquies perperiſſet fœtum mortuum, jam contra fuerit tam valida ac conſtans; ut intoxicata non modo non abortierit; ſed, veneno celerrimè per vomitum rejecto, evaſerit quaſi prima, præſentiſſimum hocce, intentatæ mortis, periculum. Enixa deinceps, quem id temporis geſtabat, fœtum, non minùs proſperè, ac ſi nihil veneni adſumſiſſet.

Calcem autem tam acriter urere, &, eroſione ſuâ, tam acerbè pungere inteſtina, utique præcordia illis impoſita, docuit manifeſtè Dioſcorides. lib.v. cap.XCI. & lib.VI. cap.XXIX. Sed videbitur fortaſſis illìc loqui, de calce vivâ: quùm flos ipſius, cujus hìc meminimus, progerminet ab intritâ.

Verùm reſponſio facilis eſt. Ablutione videlicet calcis, infringi quidem aliquatenùs, ſummam illam ipſius adurendi vim; intritæ tamen nihilominùs permanere tantum ardoris: ut inde elevetur acerrimus ille flos, qui, inſtar candidiſſimæ nivis, inveſtit recentes parietes. Cui quantum ſit acredinis, licuit aliquando videre in ore equi, Collegæ noſtri Joannis Fontani, ex ſi-

ſimili calcis effloreſcentiâ, tot veſicis, ac tam urente æſtu, inflammato: ut cogeretur propterea abſtinere, quam longiſſimè, ab omni paſtu.

CAPUT XLII.

Sudor ſeptem annorum.

HOmini ut robur conciliat, æquabilis ſolidorum ac fluidorum harmonia: ſic diſſolvit ipſius vires, diſſonans eorundem concentus. Potiſſimùm à Naturæ lege ſi deſciſcant humores; ſive utiles, ſive excrementitii. Quorum in numero primas facilè tenet ſudor. Cujus immoderatum profluvium, labefactat propterea impensè corpus univerſum.

Virgini malè natæ fuere, ab ineunte ætate, ob ſudores prægnanti matri crebriùs permotos, adeò pervia ac patula cutis ſpiracula; ut continenter fermè maduerint, cum tam profuſo, ac perenni, diffluentis ſudoris, curſu: ut cottidiè indiguerit tribus quatuorve induſiis, ad detergendum madorem, cuti indeſinenter inhærentem. Quod immodicum ſudoris effluvium, divexavit ipſam, non aliquot menſes, ſed ſeptem ampliùs annos. Licet interim minimè omitterentur remedia convenientiſſima. Adeò difficulter eradicatur morbus hæreditarius!

CA-

CAPUT XLIII
Excoriatio, ab oleo Vitrioli.

FAmulus Chirurgi, curaturus, ſuo more, dolorem dentium, infudit nubili Virgini, ſive conſideratè, ſive improvidè, tantum olei vitrioli, in os: ut, deſcendens in gulam, exeſerit non ſolùm quaſcunque faucium partes; ſed accenderit præterea ventriculum, jecur, & potiſſimùm venarum, arteriarumque ſanguinem. Cujus exurens incendium extorſit Medicis, præter infinita refrigerantia, ac plurima cathartica, frequentes ſanguinis detractiones; antequam aliquatenùs domaretur efferа hæc fera, conſumptura aliàs innocentiſſimam virginem.

Sed incendio intus utcunque reſtincto, effundebatur tamen calor, inſtar exundantis maris, tanto impetu, in habitum corporis: ut, exeſâ colli ac faciei cute, defœdaverit ſummè corpus univerſum; imprimens mammis, pectori ventri, brachiis, ac cruribus tot cinereas cruſtas, ac tam fœda ulcera: ut vix quicquam manſerit ipſi vel glabrum, vel veteris pulchritudinis particeps.

Quam deformem cutis formam, imminuere quidem deinceps aliquatenùs remedia: ſed non ita, quin remanſerint illi aliquæ maculæ, & turpia cicatricum veſtigia; uti quo-

que

que in viſceribus ſcintillæ prioris incendii. Quibus vel minimum, à calidorum uſu, iterùm accenſis: incidebat protinùs in recidivam, corporis habitum iterum turpiter fœdantem; ſed potiſſimùm internos digitorum apices: qui non ſecùs ipſi flaveſcebant, ac ſi croco fuiſſent infecti.

CAPUT XLIV.

Exedens, præcordiorum herpes.

HErpes præcordia exedens, conſtat ex pluribus puſtulis: modò in unum conglomeratis; modò evidenter ſejugatis. Hærent autem illæ, in extimo diaphragmatis ambitu: inflammantes non tantùm; ſed exedentes, ardore ſuo, uſque eò cutem: ut cuilibet ulcuſculo ſua inſideat eſchara. Quâ vel ſponte vel arte decidente, imminuitur manifeſtè non minùs excurens dolor; quàm moleſtus ille pruritus, qui puſtulas haſce aſſiduò comitatur.

Creditur autem hoc vitium, occidere hominem, ſiquidem circulum ſuum abſolvit. Quod tamen non fit, niſi admodùm raró. Equidem ſaltem vidi hoc malum frequenter: ſed ſemper inæqualiter diſperſum; ac nemini exitiale. Aſſerit tamen id Plinius lib. XXVI. cap. XI. dicens, ignis ſacri plura eſſe genera. Inter quæ,,, medium hominem ambiens Zoſter appellatur;,, & enecat, ſi cinxerit. Quod infortunium vidit,,

veriſi-

verisimiliter, licet non addat expresse, Joannes Langius, in Marchione Brandenburgensi, ab hoc affectu occiso, epistolâ XXXII. Scribonio Largo vocatur hoc vitium cap. CVI. Zona: & nostratibus Ommeloop, sive ambitus. Quod variis circulis, variè dispersis, hominem aliquatenùs ambit.

Vir pleni habitus, & calidoris jecinoris, doluit vehementer circa præcordia: cum acri pruritu, insigni dolore, & frequentibus, conglomeratarum pustularum, circulis. Rubente cute vicinâ, & pustulis primum utique rubris; sed mox albicantibus, & in quâlibet earum crusta nigra, quam escharam vocant Medici. Quâ, convenienti litu, separatâ, degenerabat quælibet in humidum ulcusculum; cum acri dolore, sudore effuso, & interdùm tam impetuoso, virulentæ materiæ raptu ad interiora: ut animus aliquoties non secùs deficeret; ac si ipsum occupasset contagiosa aliqua pestilentia. Cujus sororem equidem propterea soleo appellare, perniciosum hocce herpetis genus.

Nam sicuti illa carbones majores; sic producit hoc minores. Exigitque uterque morbus, ut cathartica æquè blanda; ita antidota non minùs efficacia. Sed in eo discrepant: quod herpetis labes duntaxat uni; pestis verò noxia sit omnibus, occidens plerosque; herpes contra non nisi paucissimos.

Re-

☞ Remedia verò hujus eruptionis consistunt: in corrigendâ intemperie, visceribus conceptâ; expellendâ leniter bile; roborando corde; & infringendis tetris vaporibus, visceribus continenter affusis. Sed foris sufficit plerumque unguentum rosatum, mixtum cum argento vivo præcipitato. Sed si escharæ siccitas, ac molestissimus pruritus, non tollantur hoc litu: expedit confugere, vel ad unguentum basilicum; vel leniens, ac humectans aliquod cataplasma.

CAPUT XLV.

Pulsus arteriæ, extra carpum, explorandus.

POlydædala Natura imprimit nonnunquam homini, non modò foris, figuras adventitias, ac perversas; sed distribuit etiam interiora pro libitu. Modò certis quasi adstricta legibus: modò verò vaga, & dispescens aliter, atque aliter, cùm ipsa viscera; tum ejusdem ordinis vasa, videlicet nervos, venas, vel arterias.

Maria Godofreda, uxor Prætoris Gulielmi Verdoesii, habuit, in manus suæ carpo, tam exilem, ac teretem arteriæ ramulum: ut ex ejus motu, vix quicquam licuerit præsagire, sive de robore, sive imbecillitate cordis. Sed Natura collocaverat in manus dorso, inter pollicem,

ac indicem, arteriam: quæ aliis communiter fertur per interiora carpi. Quocirca necesse fuit, si quid foret judicandum, de virium constantiâ, confugere, à carpo, ad arteriam, in extimâ manu positam.

Quem Naturæ lusum, equidem, etiam in aliis, subinde animadverti: sed evidentissimè in quodam nostræ Reipublicæ Senatore. Quem hujus erroris ergò, judicabat aliquando, celebris alioqui Medicus, pestilentiâ infectum: licet id temporis pancraticè valeret. Sed imposuit Viro eximio inusitatus hicce Naturæ lusus. Quem ubi vidit, cecinit illicò palinodiam; &, pertæsus præproperi judicii, docuit suo exemplo: Nihil consiliis medicis tam esse inimicum, quàm celeritatem.

CAPUT XLVI.

Gangræna universalis.

SEni fatuo, neque heri, atque hodie, sed diutissimè debili, fatiscebant tandem usque eò, cùm languidum cor; tum effœtus partium calor: ut, à minimâ corporis offensâ, sequeretur protinùs perniciosissima gangræna. Dispergens se per iners hocce corpus, tam liberè, ac latè: ut id, intra paucos dies, consumpserit universum.

Non licebat illi, vel natibus insidere; vel cubito incumbere; nedum calcem pavimento im-

imponere, vel ſcapulam in parietem inclinare: quin protinùs exſtingueretur calor; & à gangrænâ obſideretur non minùs pars præmens, quàm preſſa. Quæ labes, tam præpete pennâ, corpus univerſum ubi pervolaret: vidimus brevi vix ullam partem intactam; quin omnia jam emortua, antequam verè emoreretur, miſerrimum hocce, laſcivientis mortis, ludibrium.

CAPUT XLVII.

Gangræna pedis.

LUcas Sincus, Geometra Amſtelredamenſis, contraxit, ex penuriâ caloris innati, gangrænam pedis ſiniſtri. Cujus digitis, à parte ſanâ, jam avulſis, obtulit nonnunquam homo, naturâ jocabundus, Chirurgo ſuo, ubi jam meliuſculè ipſi foret, pedem dextrum, quaſi recreandi cauſâ.

Sed eo, eâdem labe, paullò pòſt, itidem infecto: deſeruit illum illicò intempeſtiva hæcce hilaritas; & quaſi deſperatâ, jam tum, omni ſalute, credidit firmiter, pœnam hanc cœlitùs ſibi immitti: quod tam intempeſtivè joculatus fuiſſet. Quæ certè triſtitia non deſeruit ipſum, antequam deſereret ipſum vita. Adeò periculoſum, in ſeriis nugari.

Infortunium autem, quod ipſum oppreſſit, circumvenit plerumque, quoſcunque à ſimili

gangrænâ detentos. Neque fuit fortaſſis, ipſius conditio, eò deploratior, quod peccatum hoc peccaſſet: ſed quia cordis robur fuit imbecillius, quàm ut convenienter ab interitu vendicaret pedes, ceu longiſſimè à ſe remotos. Quarum partium exitium, propterea indicium facit circumſpectis Medicis, brevi utique peſſum iturum & totum hominem.

CAPUT XLVIII.

Sphacelus brachii, à febre.

MAriæ Norottæ, à febre ardente, impensè extorrefactæ, effudit ſe, circa ſeptuageſimum, ætatis ſuæ, annum, tanto impetu, peſtifer morbi humor, in brachium ſiniſtrum: ut, facto initio à commiſſurâ humeri, præcipitaretur, unâ nocte, in immedicabilem ſphacelum, uſque ad extremos digitorum apices. Cum tantâ protinùs cutis nigredine, & tam exſucco, atræ carnis, ſqualore; ac ſi, integrum menſem, expoſitum fuiſſet, retorrido, urentis Solis, æſtui. Sicuti cum ſtupore juxta mecum vidit, exercitatiſſimus Medicus, Franciſcus Vicquius.

Quocum ſimillimum infortunium, aliquot annis poſt, etiam in aliâ quâdam obſervavimus muliere, ſed eventu æquè infelici. Noli itaque, ò Chirurge, ejuſcemodi brachia inconſideratè incidere. Satagens vel calorem in cutem de-

denuò evocare; vel medicinæ locum facere. Quod enim ſemel emortuum, id nunquam redit ad vitam.

Et licet malum videatur nonnunquam ſtare, ac ſcalpellum exigere: vires tamen, à malignâ febre fractæ, & pars ex toto vitiata, non patiuntur ſcindere; nedum abſcindere membrum, hac ratione infectum. Maturares quidem mortem, ſed nihil interim juvares ægrum. Satiùs itaque, circumſpectè potiùs, mortem præſagire, & quâ licet prorogare, quam non potes conſervare, vitam.

CAPUT XLIX.

Atrophia brachii ſuctu ſanata.

TRia fuere veteribus, juxta Oribaſium, coll. lib VII. cap. XVI. cucurbitularum genera: vitrea, ænea, cornea. Quorum priora trahunt per ignem; poſterius citra illum, ſolo oris ſuctu. Quæ cornea cucurbitula, licet nobis fermè in deſuetudinem abierit, plurimi tamen etiamnum fit Indis, ſub torridâ Zonâ habitantibus.

Qui curaturi dolorem colicum, Juvenis mihi notiſſimi, infudere primùm ore clyſterem; mox applicuere abdomini cucurbitulas corneas Quarum ſpiritu, per exile foramen, ore (ut Celſi verbis id efferam) educto; occluſere feſtinanter cavum id digito: cùm ut cuti fir-

miter inhæresceret cucurbitula; tum ad eliciendum flatum intestinis molestum. Quem certè felicissimè, huic juveni, hac ratione, subduxere barbari.

Quapropter domum reversus, donavit me tali cucurbitulâ. Cujus periculum equidem aliquando facturus, selegi mihi (uti etiam fecit Fabricius Hildanus cent. 1. obs. LXXX.) brachium ab atrophiâ consumptum. Cui imposui hasce cucurbitulas, loco picis, ac resinæ: quibus legimus, in simili necessitate, usam fuisse antiquitatem, etiam remotissimam.

Attrahunt autem hæ cucurbitulæ potenter; &, abductâ aptissimè cute, elevant venas & arterias, præ macie in se collapsas. Quibus iterùm adapertis, commeant denuò quocunque sanguis ac spiritus. Quorum indesinens affluxus, nisi cottidie subiret, in locum eorum, quæ continenter ex corpore decedunt; non solùm non aleretur, sed emaceraretur necessariò membrum, tali vitio infectum. Cui maciei nihil profectò salutarius est, hacce corneâ cucurbitulâ. Præsertim si affigatur dextrè, juxta cursum venarum arteriarumque, illuc nutrimentum ac vitam deferentium.

Nautæ juniori, effluxere, ex amplo brachii abscessu, tam frequens pus, & adeò copiosus liquor: ut, subducto succo alimentali, & dissipato, plus æquo, calore vitali, conciderent venæ inanes; cessaret accretio; & tandem emarces-

cesceret brachium universum. Cui, jam exarefacto, ubi imposuimus aliquoties cucurbitulam corneam; vidimus, ipsius suctu, tantum caloris ac sanguinis, ad cutis extrema attractum: ut exsuccum illud brachium, non modò aleretur iterum; sed adipisceretur denuò pristinum vigorem; imò tantum virium, ac roboris: ut potuerit deinceps quocunque iterùm navigare, & in mari nullo non fungi officio.

CAPUT L.

Rotundum vulnus.

ELisabetha Nicola, domum reversa, arripuit, præ lassitudine, quodcunque obvium sedile: ignara interim, illi incumbere asserem; habentem in se, longum & acutum pinnaculum. In quod defatigatum ubi conjecisset corpus, læsit impensè nates; & inflixit musculo glutæo vulnus, ut rotundum, sic summè profundum.

Cujus videndi copiam, invitissima, quùm faceret Chirurgo: coaluit propediem vulnus, excitans, ob acre pus, intùs detentum, non tam dolorem, quàm suspicionem, luxatæ coxæ. Verùm eventus, stultorum Magister, docuit ipsam perspicuè, non coxam sedibus suis excidisse; sed vulnus præproperè occlusum. Eo enim rursus per Chirurgum reserato, &

factâ puri effluendi copiâ, subsedit illicò dolor; evanuit luxationis opinio; & apparuit clarissimè, plus damni dedisse, præposteram verecundiam, quam vulnus ipsius natibus inflictum.

CAPUT LI.
Carcinoma femoris.

IDa, famula Regneri Neckii, amici nostri, perculsa vehementiùs, sensit ex inopinato illo terrore, nescio quem sibi oriri dolorem, circa genu; cum tumore femoris, indies usque eò invalescente: ut post annum septimum videretur, plurium Medicorum calculis, si non excedere, saltem, suo pondere, accedere quàm proximè, ad illam strumam, quam ibidem loci olim vidit Antonius Benivenius, ponderantem sexaginta libras. Observ. XIV.

Quam molem hæc virgo, septem ampliùs annos, tulit tam animosè: ut nemo domesticorum, nedum quisquam extra familiam, animadverterit unquam, quicquam vitii, in ipsius incessu. Verùm erosâ paullatim, summâ tumoris cute; intumescentibus ipsius venis; increscente indies pruritu; & carne magis ac magis livescente: nequiit ipsa malum suum diutiùs clam habere; sed, coacta id detegere, imploravit tandem pudibunda, ac mœrens, opem medicam.

Ex-

Expetens obnixè, tumorem hunc ſcalpello ſibi amputari. Qui tamen pervenerat jam tum eò incrementi ac malignitatis; ut nemo id auderet. Quocirca, licet invitiſſima, circumferebat tamen quocunque locorum inſenſiſſimum hunc hoſtem, incedens interea temporis per ampliſſimam noſtram urbem non minùs expeditè; ac ſi femori nihil omnino ponderis inhæſiſſet: compeſcens interim malignum hocce carcinoma; ultra annum ſeptimum decimum, ſolo plumbi unguento. Cujus litu, nihil ſimili tumori utilius.

Diſſectus autem poſt obitum hic tumor, ac bilanci impoſitus, ponderabat tantummodo, præter omnem opinionem, ob fungoſam ſuam ſubſtantiam, libras ſedecim. Foris quidem glaber & æqualis, ſed intus ſteatomate, gypſeâ pituitâ, induratis calculis, dilatatis venis, ac ſinuoſis ſcrobiculis, vera levitatis cauſſa, impendio nimis repletus. Latitans extrinſecus ſub extimo femoris muſculo.

Aliquot annis pòſt oblata nobis fuit, ibidem loci, in aliâ quadam virgine, longè major excreſcentia, adæquans ambitu ſuo ſeſquiulnæ longitudinem: exorta, partim ex fiſſo, ob graviorem lapſum, femoris oſſe; partim vero ex venis, & arteriis uſque adeo dilatatis: ut tumorem prius commemoratum ludum ac jocum dixiſſes, præ ut hujus fuerit circumferentia.

CAPUT LII.

Febris quintana.

VAria ſunt Medicis febrium genera, & multiformes periodorum formæ; quarum aliæ occurrunt frequenter, aliæ rariſſimè. Quibus meritò attribuerim quintanam, paucis viſam; & tum quidem, vel paucioribus circuitibus, vel admodum tectè: ſicuti de ſe ipſo teſtatur Galenus. lib. 1. epid. comm. III. tex. 11. Sed nobis obtulit ſe inuſitata hæc febris, tot acceſſionibus, & tam evidenti, totius anni, curriculo: ut nihil unquam fuerit vel clariùs, vel magis diſtinctum.

Filiam Jacobi Mori, Chirurgi quondam celebris, præcipitavit febris inordinata, in quintanam: accedentem cum horrore, ut exili; ſic calore admodùm conſpicuo. Durante, reciprocantium circuituum, ordine, ultra menſem decimum octavum. Attamen ſine evidenti corporis macie, aut manifeſtâ virium jacturâ.

Febri autem huic, adeò non profuere medicamenta frigida ac humida, cæteris febribus amica; ut etiam evidenter nocuerint. Sed juvere ipſam carduus benedictus; centaurium minus; chamædrys; fumaria; aliave, vel ſummè amara, vel putredini potenter reſiſtentia. Sed inprimis aqua mulſa, quam vidimus

plu-

plurimum potuisse, in lentâ ac pervicaci hac febre.

CAPUT LIII.

Cibi abstinentia, quartanæ lethalis.

FEbris quartana, ut frequenter incipit cum æquinoctio Autumnali; sic solvitur rarò, nisi sub initium Veris. Reliquo tempore siquidem quiescat (quod tamen interdum fit), revertitur facillimè: sive vitio alimenti, sive ob aëris inclementiam. In quâ interdùm hic morbus prolongatur in Æstatis medium, antequam ex toto desinat. Quem terminum excedens, remanet facilè per integram Hyemem; neque finitur, ante blandientis Veris accessum.

Febrem autem hanc statuit quidem Hippo-„crates longam; sed securam, ac facilem. lib. 1. epid. Et Celsus ipsius interpres asserit: lib. III. „cap. xv. quartanam neminem jugulare. Subintellige, si viscera fuerint integra: uti satis distinctè monet Galenus. comm. III. lib I. epid. textu IV. Illis enim vel inflammatis, vel aliter malè valentibus, enecat quartana quàm plurimos: sive per aquam intercutem; sive ob omnimodam cibi ac potus abstinentiam. Quæ duo perinde perniciosa sunt febri quartanæ

Aquam vero intercutem, ut producunt inflammatum jecur, induratus lien, ac uberior fri-

frigidæ potus: ſic ἀποσιτίαν, ſive morbidum cibi faſtidium, læſio ſuperioris orificii ventriculi. Quo à febre vehementer offenſo, tollitur omnis indigentiæ ſenſus, ſive ipſa fames. Quâ ventriculo ſubductâ, nec expetit homo alimentum; nec fruitur oblato. Sed exſiccatum conſumit miſerrimus marcor. Quod mortis genus, equidem vidi frequenter quartanariis interveniſſe: ſed potiſſimùm ſenibus, & magis in productâ, quam incipiente febre. Uti etiam obſervatum à Braſſavolo. comm. in aph. XXXII. lib. II.

Janus Haſius, vir macer, ſed procerus, attritus aliquamdiu à quartanâ brumali, devenit tandem eo infirmitatis: ut cogeretur, præ magnitudine febris, etiam vacuo tempore, in cubili decumbere; neque unquam ſub divo ambulare: quod tamen quartanarios mirificè reficit.

Ex quâ, exhauſti corporis, laſſitudine, incidit, paullò pòſt, in omnimodam cibi abſtinentiam: non tantùm ſub tempus febris; ſed etiam diebus intermediis. In quibus tamen expedit, quartanarios modicum cibum ſumere: quò ſuſtineant facilè, quod ſuſtinendum diu. Quantò enim tardiùs incedit morbus; tantò quoque pleniore victu indiget æger. Ex aph. VII. lib. I. Concidentibus itaque viribus, vidimus hànc abſtinentiam, non tantum huic, ſed etiam aliis quartanariis fuiſſe exitialem.

C A-

CAPUT LIV.

Error Naturæ compensatus.

IMpervestigabilis, industriæ Naturæ, solertia quamvis occurrat ubique locorum; eminet tamen potissimum in illis corporibus, quæ, quasi muneris sui oblita, vel hoc, vel illo frustravit membro. Quem errorem, suffusa deinde quasi aliquâ verecundiâ, compensat iterùm munificâ liberalitate.

Mulier Britannica, nata brachiis ac cruribus adeò distortis; ut videretur cuicunque operi inepta: nacta fuit tamen, ab officiosâ Naturâ, eam dexteritatem; ut potuerit linguâ nere; & eâdem expeditè trajicere filum, per angustum acus foramen; & solo ipsius flexu constringere arctissimum illud nodi genus, quod textorium vocant nostrates. Eâdem linguâ scribebat utique elegantissimè, & inter alia nomen filii mei, Petri Tulpii, quod etiamnum penes me adservatur.

CAPUT LV.

Incredibile, corporis humani, incrementum.

PUer quinquennis, delatus ex Geldriâ, & Amstelredami bilanci impositus, pendebat centum, & quinquaginta libras. Corpore quip-

quippe erat tam pingui, ac amplo; ut lumbi ipſius non cingerentur, niſi ſeſquiulnæ longitudine. At nates luxuriabant tam uberi carnis mole; ut viderentur quadruplices. In brachiis verò, ac manibus, poſuerat tantum roboris exuberans ipſius natura; ut manum meam non minùs fortiter ferierit, ac ſi egiſſet vigeſimum, ætatis ſuæ, annum.

CAPUT LVI.

Satyrus Indicus.

QUamvis extra forum medicum, attexam tamen huic telæ, Satyrum Indicum, noſtrâ memoriâ ex Angolâ delatum, & Frederico Henrico, Arauſionenſium Principi, dono datum. Erat autem hic Satyrus quadrupes: ſed ab humanâ ſpecie, quam præ ſe fert, vocatur Indis Orang-outang, ſive homo ſylveſtris; uti Africanis Quoias morrou. Exprimens longitudine puerum trimum; ut craſſitie ſexennem.

Corpore erat nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato; habiliſſimo tamen, ac perniciſſimo. Artubus verò tam ſtrictis, & muſculis adeo vaſtis; ut quidvis & auderet, & poſſet. Anteriùs undique glaber; at ponè hirſutus, ac nigris crinibus obſitus. Facies mentiebatur hominem; ſed nares, ſimæ & aduncæ, rugoſam & edentulam anum.

Aures verò nihil diſcrepare ab humanâ for-

Homo sylvestris.
Orang-outang.

Tab. XIIII



formâ. Uti neque pectus, ornatum utrimque mammâ prætumidâ (erat enim ſexus fœminini). Venter habebat umbilicum profundiorem; & artus, cum ſuperiores, tum inferiores, tam exactam cum homine ſimilitudinem: ut vix ovum ovo videris ſimilius.

Nec cubito defuit requiſita commiſſura; nec manibus digitorum ordo; nedum pollici figura humana; vel cruribus ſuræ; vel pedi calcis fulcrum. Quæ concinna, ac decens membrorum forma, in cauſſâ fuit, quod multoties incederet erectus: neque attolleret minùs gravatè, quàm transferret facilè, qualecunque, graviſſimi oneris, pondus.

Bibiturus prehendebat canthari anſam manu alterâ; alteram verò vaſis fundo ſupponens: abſtergebat deinde madorem, labiis relictum, non minùs adpoſite, ac ſi delicatiſſimum vidiſſes aulicum. Quam eandem dexteritatem obſervabat utique cubitum iturus. Inclinans quippe caput in pulvinar, & corpus ſtragulis convenienter operiens, velabat ſe haud aliter, ac ſi vel molliſſimus illic decubuiſſet homo.

Quin imò narravit aliquandò affini noſtro, Samueli Blomartio, Rex Sambacenſis, Satyros hoſce, præſertim mares, in Inſulâ Borneo, tantam habere animi confidentiam, & tam validam muſculorum compagem: ut non ſemel impetum fecerint in viros armatos; nedum

dum in imbellem, fœminarum, puellarumve, sexum.

Quarum interdum tam ardenti flagrant desiderio: ut raptas non semel constuprarint. Summè quippe in Venerem sunt proclives (quod ipsis, cum libidinosis veterum Satyris, commune); imò interdùm adeò protervi, ac salaces: ut mulieres Indicæ propterea vitent, cane pejus & angue, saltus ac lustra, in quibus delitescunt impudica hæc animalia.

Quæ omnia ut verissimè referuntur de hocce Satyro; sic sanè nihil verisimilius, quàm, ad ejus imitationem, effectum fuisse Satyrum veterum. Quem lectoribus suis delineaturus Plinius, scribit expressè, animal esse quadrupes, in subsolanis Indorum montibus pernicissimum; humanâ effigie, sed pedibus caprinis; toto corpore villosum; nihil habens moris humani; gaudens sylvarum latebris; & fugiens hominum commercia. lib. VII. cap. III. Vide Pausaniam. lib. I.

A quibus notis, licet aliquantisper discrepet Satyrus beati Hieronymi; convenit tamen utcunque cum figmentis Poëtarum. Erat, inquit, homo naribus aduncis & fronte cornubus aspera; desinentibus corporis extremis, in caprarum pedes. Quam eandem formam, expressuri dilucidiùs Poëtæ, appellant Satyros suos, lascivos, impudicos, biformes, bicornes, & interdùm, petulantia sylvarum numina.

Quæ veterum epitheta, ſiquidem ad veritatis explores amuſſim, videbis, ipſos non planè erraſſe. Reperitur quippe etiamnum laſcivum hocce animal, in ſubſolanis Indiæ montibus: uti quoque in Africâ, intra Sierram Lionam, & promontorium montis; ubi forté illa loca, quæ Plinius lib. v. cap. v. aſſerit noctibus micare crebris ignibus Ægipanum, Satyrorumque laſciviâ. Gaudet confragoſis receſſibus; fugit humana conſortia, neque audit immeritò ſalax, villoſum, quadrupes, ſpeciem humanam præ ſe ferens;& præditum naribus aduncis.

Sed nec pes ipſius habet ungulas; nec frons caprarum cornua; nedum corpus ubique pilos: ſed duntaxat caput, humerus, ac dorſum. Reliqua ut ſunt glabra; ſic aures nequaquam acutæ, velut perperam finxit Horatius, verum flexuoſæ, &, ut verbo dicam, verè humanæ. In ſummâ, vel nullus eſt in rerum naturâ Satyrus; vel, ſi quis eſt, erit procul dubio illud animal, quod in tabellâ hìc à nobis depictum

Cujus deſcriptionem molitus fuit fortè Plinius. Sed quò minus id potuerit, obſtitere fortaſſis Viro diligentiſſimo, hinc ingenioſa Poëtarum figmenta, Circæis illecebris ita fucata: ut neſcio quos non fallerent ſenſus. Illinc verò exoticæ gentes, tam longinquè diſſitæ: ut neceſſe fuerit, per aliena veſtigia ire; & potiùs

tiùs facilè approbare, quàm curiosè inquirere, in naturam rei narratæ, & ab omnibus jam receptæ.

Cui fidem qui derogat, is facile incidit in calumniæ murices; & elevat auctoritatem suæ historiæ, discrepantis à recepta opinione. Qualem injuriam, olim sibi illatam, necdum propemodùm concoxit Herodotus, scriptor alioqui non inconcinnus. Quoad ejus itaque in tantis tenebris fieri potuit, selegit quidem Plinius potiores observationes; fategitque Satyrum suum quam verissimè posteritati relinquere. Sed serviendum fuit famæ: neque nimis liberè recedendum, ab inveteratâ sententiâ; nedum commentitiis Poëtarum fabulis. Quorum spissàm caliginem, discutiet fortassis inclarescens, Indici hujus Satyri exortus.

Cavesis tamen hac voce intelligas promiscua Panum, Ægipanum, Faunorum, ac Sylvanorum nomina: è quibus, licet πὰν, αἰγιπάν ac Faunus inter se invicem conveniant; discrepat tamen ab illis Sylvanus, & ab omnibus Satyrus. Audi Virgilium: Lib. 1. Georg.

Pan ovium custos. ----

Et paulò pòst:

Et teneram ab radice ferens Sylvane cupressum.

Lib. 11. Georg.

-- -- -- -- --, *Deos qui novit agrestes.*
Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores.

Et lib. I. Metamorph.

--- ------- -- *Sunt rustica numina Fauni,*
Et Nymphæ Satyrique, & monticolæ Sylvani.

Et l. I. Fastorum.

Panes & in Venerem Satyrorum prona juventus.

E quibus clarè liquet, Pana, qui idem cum Ægipane (uterque enim mediâ sui parte capræ similis est), distingui expresse à Sylvano (licet aliter visum Plutarcho); & ab illo, reliquisque omnibus, quem hìc oblatum venimus, Satyrum.

Quem similiter (siquidem in sacris conjecturæ locus) designant non uno loco Moses, & Esaias, per voces Sagnir, & Segnirim: quibus non tam denotatur Dæmon, ut quidam interpretantur; quàm animal sylvestre, ac instar caprarum hirsutum, saltans non modò in sylvis, verùm quod sociis suis etiam acclamat. Cui ipsi sacerdotes ac altaria dicitur constituisse Rex Hieroboamus. Quod ipsum animal Moses Deut. cap XXXII. vers. XVII. vocat cum Chaldæis Schedim, à terrore, quem obviis incutit.

Quæ omnia quum viderint Interpretes Britanni, ad amussim convenire cum Satyro, exposuere fortassis haud malè apud Esaiam Prophetam Sagnir per vocem Satyri. Vide Levit. cap. XVII. vers. VII. II. Chronic. cap. XV. vers. XV. Esaiæ cap. XIII. vers. XXI. & cap. XXXIV. vers. XIV.

Qui-

Quibus addo, idem forte animal deſcribi à
„ Plutarcho in vita Syllæ, ubi inquit: Prope
„ Dyrrachium eſt Apollonia, & in vicino
„ Nymphæum: ſacer locus, qui, ex virenti
„ valle & pratis, ignis venas diſperſas perpe-
„ tuò eructat. Ibi ſtratum ſomno Satyrum
„ (qualem Plaſtæ ac Pictores adumbrant) fe-
„ runt captum, adductum ad Syllam, percun-
„ ctatos multos interpretes, quinam eſſet:
„ quum vocem tandem ediſſet, non quidem
„ humanam, vel claram, ſed aſperam, &
„ omnino ex hinnitu equi, ac hirci balatu
„ confuſam, obſtupuiſſe Syllam, ac mon-
„ ſtrum averſatum.



NICOLAI TULPII OBSERVATIONUM MEDICARUM LIBRI QUARTI

Caput I.

Cerebrum ſuppuratum.



Uero, octo annorum, ob effractum frontis os, haud procul à ſutura coronali, adeo depreſſa fuit ſubjecta cerebri medulla: ut, ademptâ libertate, deſtitueretur quaſi omni motu. Qui tamen paullò pòſt iterum rediit; adapertâ per exemptum fragmentum viâ: per quam exitum ubi invenit lacerum cerebrum, extulit ſeipſum longè lateque ſupra os fractum, extimamque calvariæ ſuperficiem; idque incremento tam uberi: ut Chirurgus neceſſe habuerit (quod tamen ſine præſente vitæ interitu factum), tantum parti huic nobiliſſimæ, & ad vitam ſummè neceſſariæ, adimere; quantum recipiendo fuiſſet, vacua ovi gallinacei teſta.

Ex quâ, præciſi cerebri, dilaceratione protinus pullulare ingens fungus: primùm quidem mollis ac albus; at mox duriore callo, ac ci-

cinereâ crustâ obductus. Quo luxuriante tumore, indies magis magisque, increscente, ac in majorem molem elevato; neque spiritu vini, aut aliis remediis, usu comprobatis, vel tantulum imminuto: resolvebantur tandem, die undecimo, nervi lateris oppositi. Manente adhuc firmo ac illibato, tam animi, quàm corporis robore; licet biduo pòst vivendi finem fecerit, sub sudore frigido, ac crebris nervorum distentionibus: conversâ jam tum in pus maximâ laceri cerebri parte. Cujus corruptio eò majorem admirationem excitavit in Medicis, quò minorem viderant virium jacturam, biduo ante mortem. Quæ procul dubio morbo diutius reluctabantur: cum ob uberem humidi radicalis copiam; tum ob solida increscentis corporis fundamenta.

CAPUT II.

Epilepsia ex pollice pedis.

MOrbi comitialis caussam statuunt Medici, vel in ipso stabulari cerebro; vel aliunde eò deferri: sive ex ipsis visceribus; seu à partibus externis: planè eodem modo, quo ex ictu scorpionis, ac phalangii, vel à morsu viperæ, instar alicujus auræ, venenum persentitur adscendere, ac sensim sese insinuare, in principes nostri corporis partes. Uti luce clarius videre est apud Galenum. Lib. III. Locor. affect. cap. VII.

Curtium Rogerium, uxore orbatum, ac mœſtè viventem, quamvis primus morbi comitialis inſultus invaſerit, ſine ullo vel leviſſimo ipſius præſagio: ſenſit tamen inſequentes exacerbationes manifeſtam originem trahere, ex pollice pedis ſiniſtri; indeque, ab ipſo articulo, vagum ac oberrantem elevari vaporem: primùm quidem genu, ac humero; deinde verò cervici, ipſique cerebro moleſtum: cum conſpicua mentis labe, ac terribili nervorum contractione, reflexo capite verſus dorſum, per eam convulſionis ſpeciem, quam Græci ὀπισθότονον vocant.

Quo diro ſymptomate, non quidem continenter, ſed interpolatis vicibus, modò ſeriùs, modò ocyùs, fuit exagitatus: prout venenata hæc materia vel citiùs, vel tardiùs, vapores ſuos emiſerit. Qui etiam non ſemper rectâ in cerebrum feruntur; quin potius nonnunquam aliquamdiu ſubſiſtunt, cum evidente doloris ſenſu, vel in genu, vel in humero, aut in cervicis aliquo muſculo, antequam eorum offenſam perſentiat cerebrum: quo tamen tandem irritato, contrahebantur quidem omnes nervi; ſed potiſſimùm illius partis, ex quâ malignus vapor ſpeciatim in cerebrum fuiſſet delatus.

Quæ venenata fruges in herbâ quo oppri meretur, nihil non tentatum: cùm per cathartica; tum per convenientem ſanguinis detra-

ctio-

ctionem, sed potissimùm, per arctius vinculum, pollici supra articulum, tam arctè, circumligatum: ut coërcitus halitus ne minimum quidem invenerit exitum ad superiora deinceps evolandi; non omissis interim, quin potius pro virili parte, dolenti articulo impositis cucurbitulis angustioris, ad eliciendum venenum illi penitiùs insidens. Quo tamen minùs cedente, admotum aliquoties pollici fuit ferrum candens, & inustum ibidem loci ulcus, ad os usque penetrans. Cujus beneficio malum hoc potissimùm fuit devictum; uti etiam per reliqua manantia ulcera, quæ cruribus, ac brachiis fuere imposita: quæ tam diu mansere aperta; donec, post mensem tertium, morbus ex toto desineret, ægerque, annos jam natus duodequadraginta, pristinam recuperaverit sanitatem, extra omnem recidivæ metum. Licet Hippocrati videatur hoc malum, id ætatis, homines ad mortem usque comitari. At non omnes, inquit optimus aphorismorum interpres, Philotheus. lib v. cap. VII.

In dissipandis autem vaporibus, ac sudore per cutis foramina eliciendo, præter theriacam, lapidem bezoardicum, radicem contrayervam, ac decoctum radicum chinæ, nihil ægro magis ex usu fuit, quàm aqua, arte chymicâ elicita ex tartaro & vitriolo, quam aurum potabile vocant. Cujus cottidianus usus, primùm quidem sudorem elicuit, ex illâ parte, in

quâ, id temporis, venenum delitesceret; at deinde ex capite, ac corpore universo. Donec ex toto cessaret perniciosissimus hic morbus: docens suo exemplo, optimè agi cum medicamentis chymicis, ubi in gravi morbo dantur à providâ manu; universalibus auxiliis jam tum ritè administratis: quâ circumspectione destituta, videntur quidem magna, & quantivis pretii, in oculis vulgi; verùm nequaquam apud illos, qui rem, non tam opinione, quàm veritate, metiuntur.

CAPUT III.

Epilepsia, cum vocis suppressione.

ISbrando Colineo, adolescenti undeviginti annorum, ex pedis pollice, simillima quum elevaretur aura: contremuit intensè brachium, & præter periodicas, ac vehementes convulsiones, incidit non modò in resolutionem nervorum, quam paralysin vocant; sed in tantam etiam vocis suppressionem: ut coactus sit, scribendo mentem suam exprimere, quamdiu obsiderentur nervi recurrentes, voci formandæ à Naturâ destinati.

E quibus tamen intricatis scopulis, felicissimè enavigavit, eodem magnete, quem jam propositum ivimus. Sed præ cæteris, præter tenacius vinculum, quo ne tantulùm quidem pollex carere potuit, profuere ipsi ferramen-

ta candentia; primùm quidem timidè, at mox audaciùs, usque ad ipsum os, pollici inusta: ex consilio Egberti Bodæi, Bonnii, ac Hartochveldii, qui juxtà mecum ipsi medicinam fecere.

CAPUT IV.

Sanguis humanus epilepticis datus.

A Morbo comitiali ut meritò perterrentur ægri; sic non injuriâ detestantur sani, inusitata quædam ipsius remedia: suadentibus aliis calvariam hominis viventis; aliis ejusdem jecur, aut pulmonem; aliis contra, audaciore, calidum spirantemque sanguinem (horresco referens) hominis recens interempti. Quasi verò, ut cum Plinio loquar, lib. XXVIII. „cap. I. sanitas videri possit, feram ex homine „fieri, & violare divina humanaque jura.

Videsis, ô Medice! quid adstruatur à Mose, Genes. cap. IX. Lucâ, Actor. cap. XV. & tandem ab Imperatore Leone, in Novell. Constitut. LVIII. ubi sex flagris cædit, bonorum publicatione, ac perpetuo exilio multat, qui sanguinem intestinis infarctum in cibum convertit; sive vendat, sive emat. Quo certè delicto annon multò gravius est, recentem sanguinem quasi cum ipsâ animâ sorbere, simul ac gladius, viam erupturo cruori aperiens, crudeli supplicio, locum fecerit crudeliori medici-

dicinæ: quam abominandam feritatem quis non exſecraretur, etiam in ſæviſſimis belluis?

Movit quidem prior ætas prodigioſum hoc auxilii genus; ſed vin' ſcire ejus judicium? audi Cornelium Celſum adſerentem: „Quoſdam, „jugulati gladiatoris calido ſanguine epoto, à „morbo comitiali ſe liberaſſe. Apud quos, in„quit, miſerum auxilium tolerabile fecit, mi„ſerius malum. Audi Aretæum Cappadocem „exclamantem: lib. 1. diut. morb. cap. IV. ô in„gentem neceſſitatem quenquàm eò redigi, ut „malum malo piaculo depellat! unde tamen „ad ſanitatem utrum perventum, nemo potuit „mihi verè affirmare. Quocirca non malè Scribonius Largus: Lib. 1. cap. 11. compoſ. medic. „Licet aliquibus profuerit; proſcribendum ta„men ejuſcemodi remedium extra profeſſio„nem medicam.

Lambertus Vitellius, adoleſcens florentis ætatis, plurimum moleſtiarum perpeſſus, à frequentibus morbi comitialis inſultibus, decrevit tandem ultima experiri, ſecundùm il„lud Celſi: Quos ratio non reſtituit, illos adju„vat interdum temeritas; confugitque, quamvis invitiſſimus (ô durum neceſſitatis telum!), ad exſecrandum ac deteſtabilem humani ſanguinis uſum. Quo, tremulâ manu, averſis oculis, pallidâ facie, ac horrente univerſo corpore, in obluctantes fauces violenter infuſo, tantum abeſt

abest, ut terribilis morbus inde imminueretur; ut potiùs plurimum incrementi sumpserit, habueritque multo pejus, quàm ante Thyesteam hanc mensam. Unde factum, ut, præ augescentis mali vehementia, corruerit præceps in ignem, exusto illic vehementer crure, & excitatâ tam ingenti gangræna: ut necesse fuerit (quò cæterea femoris pars tuta foret), emortuum crus serrulâ præcidere. Quo crudeli remedio quantumvis ritè satis administrato, occidit tamen ipsum, postridie ejus diei, major morbi comitialis vehementia, quam vires, à recenti cruris amputatione attritæ, fuere ferendo.

In quod ipsum præsens vitæ periculum, licet nequaquam inciderit adulta quædam virgo, eundem jugulati juvenis sanguinem, id temporis, itidem bibens; adeò tamen non recuperavit, horrendo hoc remedio, amissam valetudinem: ut potius in iisdem, modò non & periculosioribus, permanserit morbi comitialis scopulis; nolente quasi Deo, ulteriore experimento confirmari, enorme, atque exsecrandum hocce piaculum: cujus ignominioso usu, dispudet certè commaculari Medicinam, innocentissimam cæteroquin sanitatis præsidem.

CAPUT V.

Beriberi Indorum.

JUstus Auceps, juvenis peregrinandi cupidus, peragrato jam tum præcipuo Orientis tractu, ſubſtitit tandem in regione Choromandellâ, ubi Sol tanto interdum æſtuat ardore: ut indigenæ, ejus vitandi cauſſâ, cogantur maximam diei partem tranſigere in balneis frigidis. Quem exurentem fervorem utique declinaturus hic juvenis, idi negotii famulis ſuis dedit: ut ſe plumbo impoſitum, cottidie, idque ſub dio, ac aëre patente, frigidâ affatim perfunderent. Quod certè irriguæ, ac intempeſtivæ lavationis genus, adeò non profuit; ut potiùs multùm nocuerit. At juvenile vitium eſt, animo non poſſe imperare. Obſtipatâ itaque cute, & humoribus, ab inordinato frigore, impendio nimis, in nervos repercuſſis; contraxit illam paralyſis ſpeciem, quam India Beriberi, ſive ovem vocat. Qui morbus, ut minimum habet periculi; curatur tamen difficillimè: uti ſuo exemplo docuit hic adoleſcens; qui propterea, cum ipſo domum reverſus, nobis anſam dedit inquirendi in naturam hujus morbi.

Quem animadvertimus tantùm diſcrepare à perfectâ; quantùm conveniret cum imperfectâ paralyſi. Corpus quippe erat quidem hebes

bes ac languidum, artuſque inertes ac deſides; neutiquam tamen omni omnino motu deſtituti. Et quamvis ægro minimè integrum fuerit cibum capere, nedum deambulare; licuit tamen ipſi in ſedili ſedere, obſcurum aliquem edere motum, imò in ſtupidis membris interdum perſentiſcere vagum, ac oberrantem illum titillationis ſenſum, qui ſolet præcedere ſpiritus animales, in nervos influxuros, ac jam jam per exilia eorundem foraminula tranſitum quæſituros.

A quâ utique imperfectâ nervorum reſolutione, haud quaquam etiam diſpar fuit curandi ratio: convaleſcente ægro, non minus proſperè, remediis patriæ noſtræ familiaribus, ac ſi illis ipſis uſus fuiſſet, quæ morbo huic ſpeciatim præſcribit, qui Indiarum Præfecto à Medicinis fuit, Jacobus Bontius; meth. medend. cap. 1. ne quidem deficiente nobis, pretioſo illo terræ oleo, quod Miniac Tennah Indis vocatur, & in inſulâ Sumatrâ, cui præeſt Rex Achinenſis, adinſtar olei petræ, ex rupibus deſtillat. Cujus Indici olei frequens periculum à nobis factum, cum in frigidis affectibus, nervis, ac muſculis penitiùs inſidentibus; tum etiam in ſuffocationibus uterinis: quibus non minùs opis adfert, quàm oleum, arte chymicâ, è ſuccino elicitum. Evacuandis autem pituitoſis ſuccis (in quibus potiſſima hujus morbi cauſſa) operam inprimis navarunt, cùm ca-

thar-

thartica convenientia; tùm lignum Guajacum Saſſaphras, ac radix China: & extrinſecus unguentum, partim ex oleo terræ, partim verò ex oleis caſtorei, ceræ, nucis myriſticæ, cariophyllorum, piperis, ac ligni Rhodii; quorum omnium legitimo uſu, non tàm confirmatus, quàm in priſtinam valetudinis ſtatum integrè reſtitutus fuit.

CAPUT VI.

Vivocomburium.

SEd qui prætercam hìc duo mihi relata, à teſtibus oculatis? extra quidem ſepta medica, ſcitu tamen non injucunda: quorum alterum de Pythagoricis agit Philoſophis; alterum verò de viduis, quæ etiam nunc hìc vivæ comburuntur, cum maritis ſine liberis defunctis: non quidem tam amore fidei conjugalis, quæ hìc tanti non fit; quàm metu illius contumeliæ, qui illas manet, quæ inveteratæ huic conſuetudini vitam ſuam præferunt. Conciſis enim ignominiosè crinibus ſervilem in modum habentur; deſpicatui tantùm non toti familiæ, verùm odio etiam omnibus: non ſecus ac triobolari ſcorta, atque viliſſima populi proſtibula; in quæ etiam, præ nimiâ deſperatione, frequentiſſimè degenerant.

Quod ſi vero, vel ſpontè, vel crebris amicorum exhortationibus, animus devictus ad flam-

flammam inclinet, conſentiatque, ob perſolutum tributum (nulli enim gratis id conceditur), Ruſtanus, ſive, ſub cujus imperio illic vivunt, ejus loci præfectus; deducitur victima hæc prius ad flumen: cujus aquâ, pro more, abluta, deinde ad rogum, quaſi ad nuptias, it; diſtributiſque inter familiares monilibus, armillis, omnique mundo muliebri, præmiſſoque pomo, quod manu geſtat, proſilit ipſa in rogum, tantùm non læta, verùm etiam cupienti proxima; effuſoque, quod capite geſſit, oleo, excitat tantum flammæ ardorem: ut ne minimus quidem ipſius percipiatur ejulatus; quin potius, dictum ac factum, conſumpta convertatur in pulverem, flumini deinceps inſpergendum. Quæ verò rogo propinqua videtur cunctabunda, ac in limine defectura, hanc etiam invitam in flammam protrudunt amici: uti comperi animadverſum à mercatoribus noſtratibus, ibidem præſentibus, in Virgine duodecim annorum, deſponſatâ duntaxat Adoleſcenti, immaturâ morte ſublato.

At enim verò, quæ hìc loci facilè admittitur pyra, eandem alibi viciſſim ſummè deteſtantur aliæ mulieres. Quibus propterea (ne bolus ille e faucibus ſibi eripiatur) maritorum ſepulchris impoſitis, ſpiritum elidi, vitamque adimi curat, humani generis hoſtis: cùm per glebas, à tripudiantium pedibus pedetentim

aſperſas; tùm per pulverem, decidentem ex ſacculo, capitibus ipſarum imminente: quem gutture, terrâ propemodùm jam obruto, ſcalpello choragus incidit; quo, naribus ac ore occluſis, ob interceptum ſpiritum, vitam cum morte commutent.

Præter quod Banianarum vivocomburium, hìc etiam paſſim videas Philoſophos Pythagoricos, quibus perſuaſum, animas hominum defunctorum migrare in animalia: quorum propterea nullum vel comedunt, vel occidunt, redemptâ etiam interdum illorum vitâ, ab illis, qui necem intentant. Non neglectis interim, quin potius diligenti curâ, in publicis valetudinariis, enutritis illis, quæ aut ætas, aut morbus infirmavit. Siquidem quæſiveris, in quod animal mallent animam ſuam tranſire: reſponſum feres, vaccam cæteris præferendam; utpote non ſolùm liberè ac leniter in herboſis paſcuis enutritam, verùm etiam minus obnoxiè, ac ſerviliter ab hominibus habitam, quàm cætera animalia. Ut ut ſit, Philoſophi hi, reliquis Indis ut eruditione, ſic dignitate longè antecellunt; primaſque fermè obtinent in Regum ac Principum aulis: è quibus equidem memini, mihi, præter elegantiſſimas epiſtolas, auro ſignatas, oſtenſos etiam aliquando ipſorum libros, in oblongis arborum arundinumve foliis, Arabico ſtylo, tam accuratè, ac ſcitè exaratos; ut vix quicquam conſpexerim

rim unquam ornatius. Et hæc quidem hactenus extra oleas.

CAPUT VII.

Judici sincerè respondendum.

COrnelius Bethlemita, ictus cantharo in fronte, ac ventre gladio leviter puncto, procidit temulentus in gradus; fissoque sinistro temporum osse, excessit tertio pòst die è vitâ: comprehensis interim, ac in custodiam traditis, qui ipsum indignis exceperant modis; confitente altero, ventrem à se vulneratum, altero verò accusato de vi fronti illatâ.

Cujus inopinatæ mortis caussam, jussu Judicis, inquisituri Medici invenere, nec ventris vulneri, quod ad interiora neutiquam penetrabat; nec frontis contusioni, mortem hanc imputandam: verùm vitam ademptam fuisse, partim per inflammationem cerebri, ab effractò osse excitatam; partim verò, & quidem potissimum, ob jecur, septum transversum, ac intestina, ut summè inflammata à morbo rixam præcedente, sic undiquaque fœtidissimo pure perfusa, ex inveterato abscessu, per turbas hasce, id temporis, disrupto. Quo lumine Judici prælato, absolutus fuit uterque reus cædis intentatæ.

Plurimi itaque interest, sententiam suam

 haud

haud leviter ferre; nedum, in re tam gravi, amicitiæ, aut hoſtilitati aliquid dare; quin potius ſoli veritati litare: quæ ut ſemper recta, ſic nunquam non juſta, ac Deo grata eſt. Cave ſis ergò Medice, aliter loquaris, aliter ſentias. Sit tibi religio, nunquam judicem in fraudem illicere: certus, aliis vulnera, aliis curantis culpam, aliis propriam pertinaciam, lethalemve aliquem morbum, clanculum alicubi in viſceribus latitantem, mortem acceleraſſe. Quorum abditorum morborum cauſsâ, haud ſatis fuerit inquiſiviſſe in naturam vulneris; niſi ſimul perſcruteris corpus univerſum, ne inconſideratè adſeveres, quenquam ſubiiſſe ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ſua peremit. Neque enim minores Deo pœnas dabit, qui inſontem damnat, quàm qui ſontem abſolvit.

CAPUT VIII.

Cancri contagium.

„ IN artibus (inquit Seneca) magis utilia, quàm
„ ſubtilia quærenda. Cujus effati rationem utinam haberent illi, quibus epulis jucundius, quidvis in controverſiam trahere; ignari, multum altercando veritatem amitti, ſaltem magis inumbrari, quàm illuſtrari. Quantum enim improvidis juvenum ſenſibus imponit verborum lenocinium; tantùm nauſeæ movet

exer-

exercitatis, propofitis duntaxat, quæ neque fcienti profunt, neque ignoranti nocent. E quorum numero quî exemeris acriter difputantes: utrum cancer ulceratus fit eminus contagiofus? ô Medicos verè umbratiles! ecquid enim verifimilius? quàm tenue, ac fervidum, urentis cancri, virus, contagium fuum non magis propè, quam longinque, difpergere? quis exhalationi ipfius limitem præftituit? quis cancellos pofuit, intra quos permaneret coërcitus volatilis ille fpiritus?

Adrianæ Lambertæ, provectæ ætatis, poft devoratam aliquot annorum moleftiam, ulceratum mammæ carcinoma, ad eum pervenit putredinis gradum: ut halitu fuo inficeret famulam, continenter operam ipfi navantem; & quidem eò majore labe, quò diutiùs fuppetias tulerit ac familiariùs cum illa vixerit. E quibus conceptæ perniciei fcintillis tandem exortum ingens incendium; quod ipfam non minus, quàm Dominam fuam, peffumdedit: infidente utriufque pectori, ac alis, tam fœdo ac inæquali ulcere; ut aliquamdiu animi penderem, utra illarum graviori excarnificaretur fævitiâ.

Quid quod mihi ipfi, folus fœtentis hujufcemodi carcinomatis intuitus, præter infignem cordis defectum, aliquando guttur ufque eò exulceravit: ut non mercurio præcipitato tantùm; verùm etiam forfice cottidie

 opus

opus fuerit, ad auferendas crustas, à depascente veneno in faucibus excitatas. E quibus vel cœco apparet, ulceratum cancrum non solùm cominus, verùm etiam eminus, contagium suum disseminare: ac proinde satius esse, fidem habere experimentis indubitatis; quàm incautæ juventuti illudere, frivolis argutiis, atque excogitatis captiunculis: ne dicam subtiliter differendo aditum intercludere, quò minus perspicax mentis acies dirigatur ad meliora, usu abundè comprobata.

CAPUT IX.

Membrana Laryngis expectorata.

TEnuis humor à capite destillans, excitavit sartori acerrimam tussim, ejicientem plurima crassæ, albæ, ac glabræ alicujus membranæ fragmenta. In quorum naturam eò curiosius inquisitum, quo majore eruperint copiâ: suspicantibus aliis, à tunicâ, costas succingente; aliis verò, vel à pulmone, vel à tunicâ, asperam arteriam tegente, illa originem traxisse. Verùm enim verò, haud quaquam veritati videbatur consonum, internam pectoris membranam potuisse exedi, ac frustulatim exscreari, sine acerbo doloris sensu, aut summâ spiritus difficultate; de quorum tamen neutro conquestus fuerat: pulmonis verò involucrum, ut erat tenuius, quàm

quàm crassis hisce fragmentis ut compararetur; ita fuit parenchyma ipsius etiam mollius, quàm ut tam acrem destillationem tulisset, sine cruore, aut ulcere. Quibus quum destituerentur sputa, restabat sola aspera arteria, quæ fragmenta hæc suppeditasset, ex internâ suâ tunicâ. Quæ sententia eò fuit verisimilior, quò, præter continuam tussim, majus fuit vocis impedimentum; exasperatis impense, è ferinâ ac acri destillatione, instrumentis, ipsius formationi destinatis. Quam efferam delabentis humoris vim deinceps etiam ægerrimè refrenarunt vel maximè lenia eclegmata: quorum tamen continuò usu, si non ex toto debellatum, plurimum saltem imminutum fuit molestum hoc vocis fauciumque impedimentum.

At quis non miretur? quæ humoris hujus fuit sævitia, pulmonem non contraxisse ulcus? neque ex adapertis venarum oris erupisse sanguinis sputum? nedum bronchia aliquam inde sensisse offensam? verùm omnem impetum substitisse in lubricâ, ac declivi hac asperæ arteriæ tunicâ? quæ alioquin nullam destillationem impedit rectà ad pulmonem descendere; sed cuicunque humori liberum concedit transitum.

CAPUT X.

Juvenis balans.

PRout variant multijugæ, ac diſſonæ, diverſorum animalium voces; pro eo etiam diſcrepant inſtrumenta formandis ſingulorum vocibus deſtinata. Sic edit grunnitum ſuum porcus, per cavernulas gutturi impreſſas; & volucris (quæ epiglottide caret) concentum, per duriorem quandam cartilaginem; uti homo, animal perfectiſſimum, articulatam vocem: cum per anguſtam laryngis rimam, quæ γλωττὶς Græcis, ac lingula Latinis vocatur; tum per pervium quendam complicatæ membranæ tubulum, quam modulandæ humanæ voci, in interiore aſperæ arteriæ receſſu, tam ſagaci induſtriâ, effinxit provida, ac omnium opportunitatum moderatrix, Natura: ut affabrè factum hoc artificium, nunquam, niſi cum ſummâ admiratione, meminerim in theatro anatomico, à circumſtante coronâ conſpectum.

Quo abſolutiſſimo inſtrumento ſolus inſtructus homo, ſatagit interdum voce ſuâ imitari, vel exprimere quorumcunque animalium ſonos: idque ſucceſſu tam felici; ut diſcrimen non animadvertat, niſi acutiſſimus auditus. Cui tamen facilè impoſuiſſet, non fictus, ſed genuinus ille balatus, quem juxta me-

mecum audiere quàm plùrimi editum, à Juvene Hiberno, inter oves, ab ineunte ætate, enutrito: quem propterea hìc operæ pretium fuerit, ſuis coloribus depingere.

Allatus Amſtelredamum, omniumque oculis expoſitus fuit Adoleſcens ſedecim annorum; qui in Hiberniâ, a parentibus fortè devius, inter oves ſylveſtres, ab incunabulis altus, induerat quaſi naturam ovillam: corpore pernici, perpete pede, vultu truci, carne durâ, cute exuſtâ, artubus ſtrictis, fronte ut obtusâ ac depreſſâ; ſic occipitio convexo ac tuberoſo, rudis, temerarius, imperterritus, & exſors omnis humanitatis: cætera ſanus, & optimè valens. Deſtitutus voce humanâ, balabat inſtar ovis; &, averſatus cibum potumque nobis uſitatum, manducabat ſolùm gramen ac fœnum, & quidem eo delectu, quo curioſiſſimæ oves: obvolvendo identidem unumquodque, & æſtimando ſingula minutatim, ſeligebat, guſtabatque tandem, modò hæc, modò illa, prout naribus ac palato judicarentur gratiora, ac magis convenientia.

Vixerat autem in montibus aſperis, ac locis feris, ipſus non minùs ferox, ac indomitus, delectatus ſpeluncis, aviis, ac inacceſſis ſalebris; aſſuetus jam ſub dio vivere, Hiememque, atque Æſtatem juxta pati: effugiens longiſſimè venatorum inſidias. In quorum

tamen casses tandem incidit: quamtumvis cursum dirigeret, per saxa inæqualia, ac præcipitia prærupta, seque intrepide conjiceret in spinosa virgulta, atque acutos murices; quibus intricatus, redactus fuit in venatoris potestatem: præ se ferens, magis feræ, quàm hominis, speciem. Quod sylvestre ingenium, etiamnum coërcitus, atque inter homines degens, non nisi invitus, ac longo pòst tempore, exuit.

Guttur erat ipsi amplum ac latum; lingua palato quasi annexa; præcordia, ob pronum incessum, sursum retracta; & in naturali ventriculi, jecinoris, ac lienis loco, tam exiguà distentio: ut sectio anatomica fortassis multa illic invenisset, à communi positu ac figura haud parùm discrepantia; potissimùm circa interiora gutturis penetralia, ad exprimendum balatum, ovibus naturâ, ipsi verò solâ consuetudine, familiarem.

CAPUT XI.

Noxa, à nimiâ frigidæ collutione.

GRaves errores raro impunè feruntur, in morbis acutis: in quibus hunc inclemens aër, illum inordinatus cibus, alium verò intempestiva Venus, immoderatus vini aut cerevisiæ usus, vel tristior aliquis casus oblatus, inopinatâ multarunt morte. In quorum numerum

rum quoque, quo referantur illi, qui os frigidâ impensius colluunt, inseram huic operi, quod sequitur, exemplum.

Uxor Pauli Copii nequiens, bibendo, febris ardentis restinguere incendium, colluit os suum frigidâ, primùm quidem parcè, ac ordinatè; mox verò adeò effusè ac frequenter: ut nullis monitis se pateretur deterreri, à gratissimo hoc algore. Quo gavisa mulier, animi impotens, consumpsit interdum, paucis horis, non aliquot modo pocula; verum integras sæpenumerò urnas: perstrictis, adventitio hoc frigore, palati gutturisque venis arteriisque, ac inspissatis vaporibus, suppressisque adeò spiritibus, ad cerebrum viam adfectantibus; ut labasceret ipsi non tantùm mens, verùm, contractis etiam nervis, incideret tandem in inevitabilem mortem.

CAPUT XII.

Vermis narium.

ANcillæ Chirurgi, acerbè ac longè ex capite dolenti, neque ullis remediis adjutæ, tulit tandem suppetias vermis, è naribus prorumpens, longitudine medii digiti, ac formâ haud dispar illi vermiculo, quem figura tertia tabulæ septimæ ob oculos ponit. Consule Herculem Saxoniam. lib. 1. cap. 11.

CA-

CAPUT XIII.

Cancer Ossis.

CORnelius Celsus libro VIII. cap. x. asserit: fracturæ ossium, præter inflammationem, ac distentionem nervorum, interdum quoque cancrum intervenire. Ecquid verò per cancrum ibidem loci intelligatur, variæ variorum sunt conjecturæ; neque minores sententiarum conflictus. Verisimile tamen non est, verum hìc designari cancrum, nedum sphacelum perperam excogitatum. At, si quis conjecturæ locus, videtur hæc vox adumbrare callosum illud tumoris genus, quod plerumque sequitur calamitosas ossium fracturas, vel immedicabilem illam eorundem mollitiem, quam imprimit ossi acida pituita, solidam ipsius substantiam planè corrumpens. Cujus perniciosissimi tumoris natura, quantumvis haud parum discrepet à genuino cancro; in eo tamen cum ipso convenit, quod uterque nullis cedat remediis, conspiretque perindè in perniciem ægrorum.

Vincentius Balduinus, Vir infractæ ætatis, vixit aliquamdiu miserandum in modum, ob humeri os, intra annos quindecim, quater effractum. Quod paullatim increscens, sive ex viscido contusi ossis succo; sive sanguine eò uberius affluente, in eam tandem devenit

mo-

molem: ut nec pectus, nec ſcapula, immodicum ipſius pondus fuerit amplius ferendo. Excitatis non ſolùm maximis nervorum doloribus; verùm etiam ſummâ ſpiritus difficultate, ob luxurians pondus, thoracis motum continenter impediens, cum indefatigabili vigiliâ. Quibus è ſalebris quo evaderet, uſus fuit conſilio variorum Chirurgorum: quorum alii tumorem emollire, atque in pus convertere; alii contra luxuriem ipſius arctiore faſciâ coërcere; ac nonnulli vitiatum os ſerrulâ præcidere adnixi fuere: ſed omnes ſucceſſu infelici. Venæ enim ac arteriæ hujus tumoris latiores erant, quàm ut pollice humano potuiſſent obthurari: ac proinde magis impedimento, quam auxilio fuere faſciæ. Mortemque adeò non diſtuliſſet, quàm maturaſſet amputatio improvidè inſtituta.

Facto autem vivendi fine, docuit Anatome, omnia, ſub cute, viſci craſſitiem, ac ſteatomatis induiſſe naturam; parumque diſcrepaſſe à materia veri cancri. Cujus nomen fortaſſis propterea huic oſſis vitio, haud malè, impoſitum ab induſtrio hoc Auctore. Ipſa verò oſſa erant non modò à ſe invicem ſejugata; verùm quaſi malleo minutatim confracta, ac, præ irriguo madore, adeò tenera, flaccida, ac mollia: ut inſtar ceræ ſcalpello facillimè conciderentur.

Quam eandem alienationem oſſibus uti-
que

que imprimit acida, ac maligna quædam pituita, per habitum corporis effusa. Quam interdum quinquaginta vidimus occupasse loca, ac depascere tantùm non solida ossa; verùm etiam carnem, membranas, nervos, ligamenta, aut quicquid illi obvium: parum interim, aut nihil proficientibus remediis, quibus infensissimum hunc hostem sategimus domare, sive sponte ex latebris suis prodeuntem; sive à variolis in arenam hanc productum. Vide Fabricii Hildani centur. IV. observ. LXIX.

CAPUT XIV.

Sanguisugarum usus.

SAcro igni, mulieris melancholicæ, crus exedenti, optimè profuit sanguisuga: eliciens, ex proximis venis, fervidum adustumque illum sanguinem, qui perennem fomitem pervicaci ulceri hactenus suppeditaverat. Quo exsucto, facillimè cessit reliqua molestia soli pani, aquæ immacerato; non secus, ac si placida Æsculapii manus imposita fuisset. Vide Celsum. lib. v. cap. XXVIII.

CA-

CAPUT XV.

Oblivio à læſo occipitio.

CUrioſè, non tantùm inter Medicos, verùm etiam Philoſophos, diſceptatur: utrum animæ facultates, diſtinctis ſedibus, in cerebro diſparentur, elegeritque imaginatio partem ejus anteriorem, ceu molliorem; uti memoria poſteriorem, quaſi duriorem, ac retinendis ſpectris accommodatiorem. Quâ controverſiâ aliis relictâ, proferam hìc duo duntaxat exempla, luce clariùs demonſtrantia, læſo occipitio potiſſimùm offendi nobilem reminiſcendi vim.

Famulus Nicolai Lonii, iturus ſerâ veſperâ, præproperè, ad tabellarium Antverpianum, per declivem burſæ fornicem, ob glaciem, id temporis, ſummè lubricum, procidit ſupinus in occipitium. Unde ortâ omnium rerum oblivione, non meminit deinceps nominis ſui, nedum domus, è qua veniſſet, aut quo contenderet delaturus, quas manu etiamnum contineret, literas. Quem mentis ſtuporem, brevi, eatenus quidem emendavit ars, ut iterum recordaretur longè præterita: at, quæ caſum hunc immediatè præceſſerant, illorum memoria planè exciderat.

Quam eandem reminiſcentiæ labem, cælebs quidam Mercator nobis ſimiliter obtulit: qui

qui ignarus vulneris, quod, nec opinanti, in occipitio contigerat, Chirurgum obteſtabatur, ut indicaret ſibi vulneris ſui auctorem, locumve, in quo id inflictum fuiſſet. Quorum notitiam licet vel avidiſſimè expeteret, nequiit tamen vel minimum ejus invenire veſtigium. De quo occipitii vitio vide Antonii Benivenii obſerv. LXXIX.

CAPUT XVI.

Urina leporina.

PLurima gravis auditus ſunt remedia, neque ſemper obtemperat uni; ſed, ex deterſo ritè tympano, & infuſo liquore flatus diſcutiente, maximum plerumque percipitur emolumentum. Et nihil utilius urinâ leporinâ; ſive ſeorſim, ſeu cum ſpiritu vini, auribus calidè inſtillata. Cujus frequentior uſus multis opitulatus fuit; & quidem præcipuè proxenetæ cuidam Amſtelredamenſi, qui eo ſurditatis jam devenerat: ut neceſſe foret, palimpſeſto, ſive chartæ deletili inſcribere, ſi quid illi verbis communicatum velles.

CAPUT XVII.

Aneuriſma premendo ſanatum.

SPonſus, uxorem ducturus, pupugit, acutiſſimâ cultri acie, arteriam manus ſiniſtræ, in-

inter pollicem ac indicem. Cujus ſanguine, ſubſultim proſiliente, per adſtringens emplaſtrum, in tempore, inhibito; coaluit ſtatim magis externa, quàm interna arteriæ tunica, quæ manſit hians, ac à ſe invicem ſejugata: elevatâ propterea, a vitali ſanguine, uſque eò, externâ ipſius membranâ; ut degenerarit in verum aneuriſma, cum pulſu perenni, ac dolore, in vicinis nervis inſidente.

Pulſatilem hunc tumorem vix digito depreſſeras, quin ſanguis protinus regurgitaret ad venas, & aneuriſma videretur ex toto ſublatum: quod tamen actutum ſub adſpectum iterum venit, ubi vel minimum removerentur digiti. Non deerant Chirurgi, qui arteriam hanc, ſectam transverſim, ſatagebant ferro ignito adurere, ne ſanguis plus æquo efflueret. Sed crudelior fuiſſet medicina, quàm morbi natura requireret. Ac proinde periculum potiùs factum, per adſtringens emplaſtrum, à plumbi laminâ, arctioreque vinculo ita depreſſum: ut, expulſo ex tumore ſanguine, & conſtricto convenienter vulneris hiatu, faciliùs coiret, agglutinareturque interior, laceræ arteriæ, tunica. Cujus coalitus etiam ſequutus fuit, ante menſem quintum: relicto duntaxat, prope cicatricem, exiguo nodulo; qui tamen tandem etiam evanuit, antequam ex toto deſineret aneuriſma. Vide Fabricii Hildani cent. III. obſerv. XLIV.

CAPUT XVIII.

Morpio cuti adnatus.

QUatuor numerantur pediculorum genera: videlicet pediculus, lens, cyro, ac morpio. Pediculus ac lens, ut insident capiti; sic eruitur cyro, vel cyracium, ex cute, subter quam latet. Sed morpio durior, compressior, ac cæteris latior, inhæret extimæ cuti tam firmiter: ut non nisi forfice inde abscindatur. Veluti illi vidimus contigisse viro, cui morsu suo, pone aures, morpio aliquamdiu summè fuerat molestus.

CAPUT XIX.

Surdus visu verba intelligens.

INtereram aliquando hilariori convivio, ubi casu incidimus in mentionem cujusdam surdi, cui peculiare dicebatur, ex motu labiorum, quemcunque intelligere sermonem, & promptè respondere ad quævis interrogata, sive cominùs, sive eminùs proposita: modò idoneus sub dio caperetur locus, neque labia (ad quæ unicè collineat) effugerent oculorum sensum. Quem hominem equidem profectò vidi lubentissimè; tùm hoc lubentiùs, quod copia facta sit, coram Francisco Vicquio, Arnoldo Tholingio, aliisque, explorandi, ad veritatis

ritatis amussim, inauditæ hujus sagacitatis exemplum. Prodiit itaque in scenam, ad diem dictam, Simon Didericus, homo minimè venalis, nedum præstigiator: sed simplex, ac invitissimus ostendens, quam successu temporis, ex labiorum motu, acquisivisset, qualiumcunque verborum notitiam. Rogatusque, quamdiu caruisset audiendi hoc usu: respondit, se, prolapsum ex edito templi Purmerendani culmine, primùm quidem graviùs; deinde verò annis abhinc viginti, culpâ cujusdam agyrtæ, nescio quid olei potentioris auribus instillantis, admodum nihil audivisse: præsertim si compelletur à tergo; atque idcirco contubernales suos, retrò conventuros, projectis lignis, lapidibusve, ipsum commonefacere, quo respiciendo intelligat, quæ dicturi sint.

Verùm enim verò negat Cicero, surdum varietates vocum ac modos novisse. At ætas tua, Marce Tulli, campum hunc fortè negligentius percoluit, quàm noster hic θεωρητικὸς; qui, quovis lynceo perspicacior, tam acri judicio observat loquentium labra: ut vix ullus inibi concipiatur sermo, sive clarus, sive lenis, cujus proprietas ipsius scientiam fugiat. Quid quod ipse alicubi adstruis, vultum esse tacitum mentis sermonem. Quid igitur mirum, in labris, seu parte illius maxime mobili, sermonis indicium fieri acutissimò huic speculatori: cui

nihil incognitum, nihil non exploratum. Ubi conſtiteris, ſive propè, ſive longinquè, par ratio eſt. Ne dixerim, ipſum aliquando, in ſupremâ ædium contignatione, perinde intellexiſſe verba, quæ fiebant in platea, ac ſi ibidem loci coràm adfuiſſet. Auditurus concionem templum cum cæteris ingreditur, ac domum reverſus, non minùs accuratè ſingula uxori refert, ac ſi optimè omnia audiviſſet: quæque alii auribus, ori propè admotis, vix exaudiunt, illa ipſus, etiam longiſſimè remotus, ſtatim ut dicta ſunt, perſpicit perniciſſimis ſuis oculis. Uti evidens ejus rei periculum, coram omnibus, non ſemel à nobis factum.

Seſſitat autem tota hæc ſcientia in ſolis labris: quæ proinde prout alius alio habet magis glabra, ac piloſa, tenuiora, vel craſſiora; pro eo utique, vel citiùs, vel tardiùs, capit ipſorum mentem. Cum mulieribus verò, omni omninò impedimento circa labia deſtitutis, audivimus ipſum tam liberum ultro citroque habere ſermonem, adeoque prolixè confabulari; ut juraſſes, nihil vitii ipſi circa auditum fuiſſe. Cui certè notitiæ meritò dubitandum utrum ulla par excogitari poſſit. Quippe hujus magnetis uſu, quaſi ſuper hominem ſeſe effert homo. Ecquod enim erit deinceps vel ori frenum? vel linguæ repagulum? vel quis inpoſterum aurium uſus? ubi ſolius oculi intuitus revelabit quemcunque ſermonem, mentis inter-

interpretem? ecquis ſub Phalaride aliquo vivens auderet hiſcere? aut coram hoc Argo aliquid alicui in aurem dicere? Stipulaberis quidem cum aliis jure jurando fidem ſilentii, ac inſuſurrabis illis clanculum. quod celato opus erit: at quam vocem, cedo, occultabis illi, qui contra morem aliorum hominum oculis audit. Ut triſte lupus ſtabulis; ſic formidabile homini talis ſpeculator: qui nulli non præſcribit tacendi neceſſitatem; & coram quo, ſub tyrannide conſtitutis, muſſitanda potiùs qualiſcunque injuria, ac precariò vivendum, quàm, ſubmiſſe loquendo, ſecuritati ſuæ ſatis conſultum credere.

CAPUT XX.

Palpitatio Cordis.

CORdis involucrum, pericardium vocatum, continet unum aut alterum, viſcidæ ac rubicundæ alicujus aquæ, cochlear: cum ad faciliorem motum viſceris nunquam quieſcentis; tum ne, præ nimio æſtu, facilè exareſcat fons caloris, qui, inſtar Solis, vitam impertitur corpori univerſo. Aquâ autem hac vel copiâ nimium exuberante, vel calore à naturali ſtatu decidente, exoritur protinus vehemens cordis palpitatio. Cujus indefatigabili motu, ſatagit nobile hoc viſcus excutere, quod quacunque ratione ſibi moleſtum eſt. Cujus

voti nisi reddatur compos, & se, & corpus perdit universum.

Stephanum Jonam, juvenem vegeti corporis, defatigatum impensè ex pedestri itinere, corripuit, inopinato quasi insultu, acutissimus lateris sinistri dolor; cum spiritu difficili, ac summâ cordis palpitatione. Quorum symptomatum impetum quum nec sanguinis detractio, nec roborantia ulla infringerent medicamenta, actum fuit de ipsius salute; succubuitque sub pondere viribus nimis gravi: contractâ non tantùm febre hecticâ; verùm etiam hydrope, abdomen usque eò extendente: ut necesse habuerit tandem, sub sudore frigido, vitam cum morte commutare.

Quorum gravissimorum symptomatum ergò, ubi dissecaretur cadaver, invenimus cor flaccidum, ac justo majus; aquam verò pericardii exuberantem, ad quindecim cochlearia. Quæ ipsius copia produxit procul dubio palpitationem cordis. Pulmo totus erat vitiatus, costisque accretus; venæ ubique tumidæ; omentum putredine infectum; uti venter cum cruribus aquâ citrinâ repletus. Cavendum itaque obnixè à nimiâ defatigatione, quæ tantum mali corpori dat.

CAPUT XXI.

Tussis sanata decocto raparum.

JUrisconsultus, delectatus impendio nimis acri limonum succo, eò processit dementiæ, ut cottidiè biberet sex plùs minùs uncias: excitatâ inde molestiore tussi, quàm ut ullis curationem reciperet remediis, præterquam solo raparum decocto; quod, uti omnibus tussientibus ex usu est, ita quoque huic ægro plurimum opis attulit: enavigato feliciter, intra mensis curriculum, periculoso hoc syrtium æquore, in quo facillimè submersus fuisset.

CAPUT XXII.

Calculus venæ thoracicæ.

CAlculum, quem nobis aliquando obtulit arteria aorta, corpori inclusa, illum nunc demonstratum venit vena thoracica, foris obvia. Cujus os, ab interno abscessu reseratum apertumque, novum hunc hospitem non secus complexum fuit, ac scapulæ ille tumor, in quo, teste Joanne Schenkio, lib v. Ferrandius senior conspexit simillimum calculum, à sanguine firmiter concretum.

Jano Mulerio, integrum triennium, à suppurata pleuritide divexato, tandem exortus

 fuit,

fuit, circa extimam ulceris oram, prædurus tumor, continens, in se, sphæricum ac inæqualem calculum, insidentem arctè venæ thoracicæ externæ: cujus magnitudo ut nuci avellanæ, sic forma fuit simillima racemo uvarum Corinthiacarum; quibus calculus hic, rotundis, splendicantibus, ac atris suis acinis, adeò fuit æqualis: ut vix ovum ovo videris similius. Exorto procul dubio nigro illo colore, ex adusto venæ sanguine; uti alba, qua inferiùs obducebatur, crusta, à candicante puris recremento.

Agedum Chirurge! fatigant te interdum inveterata ulcera, ludisque non rarò operam in tumoribus duris: ignarus, loco puris, aliquando calculum inibi maturescere. Vis filum Ariadnæum? cujus ductu feliciter ex hoc labyrintho evades: sequere, quod proposui, exemplum, & considera attentè, num siliceus hic hospes clandestinè alicubi delitescat.

CAPUT XXIII.

Præposterus penicillorum usus.

ORiana Moravilla, splendidè enutrita, ac clanculùm extra natale solum seducta, à Martino Vinzcovio Polono (cui per id tempus filium fuerat enixa), vixit aliquamdiu cum novo hoc hospite hospitiis variis: summè illi semper obsequens, ac morigera in rebus

omni-

omnibus. At ipso non solùm obærato, verùm etiam imparato à pecunia in Poloniam cogitante, verita fuit, ne se indotatam peregrè desertum, aliorumque ludibrio prostitutum, iret. Quod periculum declinatura, maluit in tempore ab ipso discedere, eaque ratione securitati suæ consultum ire. Cujus voti quò fieret compos, nil nisi libertatem jam spirans, nullum non movit lapidem, partim blanditiis, ac suavi verborum lenocinio; partim verò assiduis querelis, donec impetraret veniam redeundi ad suos. Quam tandem, ex sententiâ, assequuta, non destitit, quin permoverit præterea juvenem, cottidianarum ærumnarum lamentorumque jam pertæsum, ut consternatam erigeret, rescissis pactis, clandestinò inter ipsos initis: quò ipsa, pristinæ libertati restituta, videretur non tam deserta ab invito, quam dimissa à volenti proximo. Quâ tamen abeundi veniâ precariò obtentâ, nec diu gavisa, nec longè fruita fuit. Victus enim amore juvenis, animique sese angens, brevi iterum expetiit dimissam. Eamque haud adeptus, desiit quidem mollium querelarum, neque fuit illi ulterius molestus. Verùm enimverò, positâ personâ amici, induit sicarii: ac jam certus se ulcisci, duxit omnia pericula, præ amore suo, levia. Arreptoque pugione, cædi ipsius destinato, processit eò furoris: ut, offensâ dissimulatâ, introierit ad ipsam, &, dato acce-

p toque mutuo osculo, irruerit in inermem ac imbellem juvenculam; cui, res alias agenti, ac nihil ejuscemodi cogitanti, inflixit, identidem feriendo, ad sex vulnera. Quod profectò enorme ac detestabile scelus, à præmeditato sicario, intra privatos parietes, sub specie amicitiæ, post pacta solemniter rescissa, incautæ juvenculæ, ac nihil mali suspicanti, nefariè ac crudeliter intentatum, permovit Judicem, ut ipsum, in carcerem conjectum, decreverit capite multandum. Quó etiam tristi supplicii genere, luctuosa catastrophe imposita fuit mœstissimæ huic tragœdiæ.

Sed omisso detestabili hoc flagitio, ingrediamur potiùs campum medicum, inspecturi propiùs vulnera, quæ magis punctim, quàm cæsim fuere inflicta. In quibus id peculiare fuit animadversum, quod ægerrimè tulerint penicilla linea, pro more interposita. Quæ propterea etiam necesse fuit inde, etiam intempestâ nocte, eximere; nisi voluisses vulneratæ omnem impedire somnum. In quem tamen statim procidit, simul ac, illis remotis, extrinsecus duntaxat imponerentur linamenta, spiritu vini imbuta. Quorum beneficio, ante duodecimum, pleraque omnia hæc vulnera observavimus non minùs feliciter carne repleta, quàm cute firmiter obducta, ipsamque ægram in pristinum valetudinis statum perfectè restitutam.

Quod

Quod experimentum, ex sententiâ Felicis Wurtzii, cottidianus passim quùm adprobet usus; subit sanè mirari stolidam quorundam velaniam, qui, ne videantur nihil agere, nugas agunt: repletis enim recentibus vulneribus, maximâ penicillorum copiâ, adeò ea non consolidant, neque promovent disjunctarum partium unionem; ut potiùs, quantum in manu ipsorum est, impedito, per interposita penicilla, mutuo contactu, remorentur summoperè necessarium coalitum. Sine quo tamen, quum non persanentur vulnera, mirum certè haudquaquam est, si hac ratione, ab ipsis obligata, maneant non tantùm fœdè hiantia; verùm priore statu longè etiam deteriora, juxta illud Nasonis:

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera.

CAPUT XXIV.

Pica plumbum appetens.

Filia Consulis Amstelredamensis, tantùm non delectata, verùm avidè, & ad satietatem usque, fruita cespite sulphureo, ac plumbi laminis minutatim concisis, ad instar alimenti vel maximè familiaris; incidit tandem in morbum, ut diutinum, ac molestum, sic summè exitialem: cum linguâ asperâ; animi deliquio; præcordiorum angustiâ; ventriculi dolore; liene obstructo; alvo suppressâ;

ute-

uteri suffocatione; pallidò corporis habitu; aliisque, insanabilium & desperatorum affectuum, indiciis. De quorum caussa quò diutius Medicum suum celaret virgo pudibunda, hoc plus nocuit suæ sanitati. Donec tandem, vi medicamentorum, sub adspectum caderet plumbum, scalpello concisum, dentibusque tam inæqualiter demorsum: ut cuilibet ipsius particulæ bini, ternive inhærerent aculei. A quibus, ut plurimum doloris percepere intestina; sic nocuere plurimùm ventriculo ac mesenterio, cùm lutulentum, cespitis sulphurei, cœnum; tùm cerussa plumbo insidens, quam Medici siccis venenis annumerant. Indeque est, quod Galeno, Vitruvio, Columellæ, Mercuriali, aliisque etiam displiceat aqua, quam plumbei tubuli adducunt: quam credunt adeò non convenire homini, ut etiam animalibus sit inutilis ac perniciosa. Vis plumbi, cerussæque, quæ secundùm Dioscoridem aceto inde elicitur, ulterius periculum facere? videsis artifices, qui plumbo ac cerussæ operam navant. Omnes sunt decolores, & tantis angustiis obsessi: ut præ irrequieto corporis motu, summaque spiritus difficultate, vix unquam in cubili quiescere, aut, ad reficiendas vires, somnum capere liceat. In quem utique inextricabilem errorem ubi se implicitam animadvertit misera hæc virgo, suppudebat quidem ipsam assumptorum; & ubique præstò erant

erant Medici, ſuppetias laturi: ſed jacta erat alea, & jam actum de ipſius ſalute, antequam potuit expelli, qui ipſam obſederat, hoſtis.

CAPUT XXV.

Singultus duodecim dierum.

Singultus frequens, ac, præter conſuetudinem, longus, ut arguit jecur inflammatum, teſte Celſo; lib. II. cap. VIII. ſic indicat, febre declinante, os ventriculi acri bile ac aphthis obſideri. Qui ſingultus, quantumvis minus periculi, quàm terroris, habeat; excurrit tamen non raro ad duodecimum: quem terminum ipſi ſignarunt Marcus Gatinaria, prax. cap. XXXVI. & Hercules Saxonia. lib. III. cap. IX.

Iſaacio Floriano, ſub finem febris continuæ, tantum negotii, non minus noctu, quàm interdiu faceſſivit indefatigabilis ſingultus; ut piguerit vel loqui, vel moveri, nedum bibere, aut cibum capere: inſidente acerrimâ bile, vero hujus agitationis fomite, penitius in inflammatis ventriculi tunicis, quam ut, vel ſupra, vel infra, expelleretur ante diem duodecimum. In quo tamen, tanquam in præfinito termino, vidimus malum hoc, tædii pleniſſimum, non tantùm hunc, verùm etiam alios ægros, derelictum iviſſe.

CAPUT XXVI.

Improvidus colocynthidis usus.

VIr inops, stimulaturus sibi ventrem suppressum, bibit ex cujusdam consilio decoctum trium pomorum colocynthidis; quæ, acrimoniâ suâ, deterso priùs intestinorum muco, tam ingentia excitarunt tormina: ut, adapertis, exilium venarum, osculis, ob vehemens sanguinis profluvium, brevi vitam cum morte commutasset; nisi, epoto multo oleo, eodemque infra copiosiùs infuso, dictum ac factum, refrenasset efferam illam erodentis medicamenti vim, eâque ratione evitasset, quod vitæ intentabatur, periculum.

CAPUT XXVII.

Ischuria undecimo sanata.

ISchuria, sive omnimoda urinæ suppressio, licet interdum excurrat ad duodevigesimum, occidit tamen non rarò octavo; excurrente nihilominus curationis termino, ad diem duodecimum. At illum prætergressa, quamvis videatur dolor imminui, ac urina denuò profluere, pessundat tamen ægrum: non quod noceat lotium iterum redditum; sed quia intempestivus hic ipsius reditus indicium facit, naturali renum calore exstincto, eorumque

que carne jam emortuâ, urinam demum, non tam excerni à victrice Naturâ, quàm devictæ insensibiliter effluere: quod quasi digito demonstrat, ægrum sub sudore frigido moriturum, ac cum nervorum distentione, ob serum, effero impetu, in cerebrum regurgitans, à lethali sopore oppressum iri.

Uxor Mercatoris Norimbergensis, imprægnata, ac nihil omninò lotii reddens, primùm quidem timidè, sed mox audaciùs, admisit remedia urinam moventia; verita, ne illis, utero intempestivè referato, prolaberetur in abortum. Quem etiam, excretâ satis ingenti molâ, nequaquam visa fuit evasisse: quantumvis, præter suam Medicorumque spem, manserit nihilominus prægnans, pepereritque deinceps felicissimè filiam, ut sanissimam, sic matri longè superstitem. Quem profectò inopinatum eventum ecquis non miraretur, in muliere prægnante? quæ, præter sectam tali venam, nuda insedit balneo, & cui innoxiè potui data fuere, non solùm fabarum, ononidis, succini, ac prunellæ salia; verùm etiam cantharides, aliaque potentissima remedia, urinæ provocandæ destinata: quorum usu, licet non fœtum, excrevit tamen, die undecimo, cum calculum, tum lotium, recuperandæ sanitati summè necessarium; quam etiam, id temporis integrè adepta fuit.

Cavesis tamen, quisquis es, gnarus, sciensque

que hanc viam ingrediaris, neu subjice prægnantes tam periculosæ aleæ. Ut molæ partus imposuit, hujus ægrotantis, Medicis, sine famæ jacturâ; secundùm illud Senecæ, in Her-
„cul. act. III. haud est nocens, quicunque
„non sponte est nocens: sic videsis, ne cum majore ignominiâ te decipiat inconsiderata temeritas, promovendo non modò abortum, verùm ipsam interdum mortem.

CAPUT XXVIII.

Calculus per lumbos excretus.

JUrisconsultus, natus patre calculoso, eidemque cruciatui à puero obnoxius, vixit aliquamdiu miserè; & tum quidem hoc miserius, quod calculus, à rene per lumbos expulsus, reliquerit ibidem ulcus callosum, profluens perpetim urinâ ac pure, & quidem fluxu tam perenni ac diutino: ut, nec tempore, nec remediis, nedum aquis Spadanis aut thermis Aquisgranensibus, ullam persentisceret opem; quin potiùs, occluso per lumbos exitu, ac derivato deorsum sordidissimo pure, inciderit tandem in febrem acutissimam, quæ ipsum miserandum in modum occidit.

Cui fortuitæ calculorum per lumbos eruptioni, fortè innixa est sectio illa, quâ Roussetus satagit, per scalpellum, calculos ex renibus elicere. Sed rectè, an perperam, viderint illi, quibus

quibus notus est, cùm ipsorum renum, tum calculorum inibi concrescentium, situs. Qui ut non semper sunt uniusmodi; sic discrepant interdum evidenter, formà, loco, numero, ac magnitudine: dispersisque radicibus per renum carnem, insident nonnulli penitius ipsorum substantiæ; quàm ut sine omnimodâ ipsius dilaceratione inde extraherentur: quid quod, dissectis tubulis, ad papillares processus sive glandulas, serum provehentibus, necessariò consequatur, perenne illud, quod Jurisconsultum hunc pessumdedit, ulcus. Quod non minùs molestum arbitror, quàm ipsum calculum, in renibus permanentem: ne quid jam dixerim de lumborum nervis, vicinis venis, ac largâ peritonæi incisione; quorum omnium anceps eventus facilè plus damni, quàm emolumenti, afflictis daret.

CAPUT XXIX.

Serosa lumborum distentio.

UXorem Senatoris Marini sæpenumerò male habuit, serosa lumborum distentio, orta ex tenui destillatione, à capite, per dorsi longitudinem, versus lienis regionem confertim descendente; quo loci biduum, triduumve plerumque subsistens, inveniebat tandem viam exonerandi se à renibus, per tenuem crudamque urinam, affatim emictam.

Quam lumborum diſtentionem, à Medicis hactenus præteritam, equidem etiam in aliis memini me non rarò animadvertiſſe; quibus, vel per drachmam radicis gialappæ, vel per quindecim grana diagridii, ac cremoris tartari, dolorificam hanc diſtentionem brevi vidimus ſublatam. Adapertis, procul dubio, capillaribus oſculis venæ ſine pari: quæ, uti pus ex thorace, &c, ſecundùm aphoriſmum Hippocratis LIV. lib. VII. pituitam expurgatum it, ex cavo illo loco, qui inter diaphragma, ac ventriculum, reperitur; ſic etiam feroſos hoſce humores, à lumbis per veſicam, expellit. At enimverò locum hunc, quem deſignat hic aphoriſmus, inveni quidem hactenus vacuum; nihilominus tamen amplum, ac ſatis convenientem recipiendis illis humoribus, quos ibidem coacervari, cum Hieronymo ab Aquapendente, ſtatuit Anatomicorùm cohors. Quæ colluvies inibi collecta, ſive à capite ac ventriculo, ſive à jecore, liene, ac inteſtino colo, quo minus deorſùm pube tenus deſcendat, impedit manifeſtè omentum, membranâ ſuâ, receptaculum hoc, quaſi velamento, omni ex parte ambiens: relicto tamen hiatu, per quem ingrediatur commodè vena ſine pari. Quæ attenuatam pituitam exſugit, & delatam per glandulas, renibus impoſitas, cum urinâ deinceps expellit: uti hujus loci flatus diſſipantur, per inſenſibilem tranſpirationem; niſi

nisi fortè, crassiores à frigore redditi, excitent fluctuantes illos rugitus, quorum beneficio videas ἐγγαστριμύθους, adinstar Pythiarum, quasi ex ventre loqui.

CAPUT XXX.

Vulnus vesicæ sanatum.

„VErè adstruit Cornelius Celsus: Artem „medicam esse conjecturalem, ejusque „conjecturæ rationem talem; ut, cùm sæpius „responderit, interdum tamen fallat nos. Vis sciti hujus veritatem? vide, quod hìc proponitur, exemplum: in quo ne lynceis quidem oculis perspexisses ossis fragmentum, in vesicâ urinariâ delitescens. Ut enim leporem non semper assequitur canis; sic neque attingit ubique Medicus, ad quem collineat, scopum: remorantibus illum sentibus, ac virgultis; hunc verò, cùm impervestigabili multijugarum caussarum varietate, tùm densissimis veritatis, quæ non ubique obvia est, involucris.

Miles plumbeâ glande ictus doluit impensè in imo ventre, ob effractum pubis os, vesicamque summè dilaceratam. Cujus tamen vulnus, præter mentem aphorismi XVIII. lib. VI. ad cicatricem cum foret perductum, non minxit propterea liberius; sed reddidit nihilominus urinam cum summâ difficultate: quam credidit à calculo originem trahere, uti

etiam revera traxit. Sed præter tres, quos in veſicâ habuit, calculos, auxit haud parùm ipſius cruciatum, ingens fragmentum, à pubis oſſe illuc clanculum delatum: quod, ab ipſo Medicoque prætermiſſum, ſolius Anatomes indicio, poſt mortem, in lucem prodiit. Quocirca non immeritò miſeret artis noſtræ; quæ, licet velit, nequit tamen veritatem ubique expiſcari, & ſemper id ſcire, quod ſciri plurimum intereſt.

CAPUT XXXI.

Æger ſibi calculum præcidens.

JOannes Lethæus, Faber ferrarius, vir fidens atque inauditæ audaciæ (cui Lithotomus bis calculum ademerat), adeò pertæſus fuit cottidianarum ærumnarum, ac ſectionis iteratæ: ut maluerit, tertiùm jam ab eodem carnifice excruciatus, quibuſcunque potiùs periculis objici; quàm denuò experiri Lithotomi ſcalpellum. Erecto itaque animo ad ſpem rceuperandæ valetudinis, ac jam certus ſe ipſum ſecare, nullius interventu, ablegavit uxorem, nihil ſequiùs cogitantem, in forum piſcarium; & ſuſpenſo à fratre, qui ſolus operi interfuit, ſcroto, uti à ſiniſtrâ ſuâ calculo firmato, præcidit animosè perinæum, cultro à ſe clanculum præparato, feriendoque identidem, tertium inflixit ictum, antequam vulnus pervene-

rit





tab. XV

æger sibi calculum præcidens

unciarum, quatuor

rit ad eam longitudinem, quam requireret calculi magnitudo. Cujus eductionem tamen, per angustum vulneris hiatum, quò animadverrit difficiliorem; eò impensiùs lategit illum, immissis utrinque duobus digitis, dilatare, iisdemque efficacius urgendo, in quo maximum hujus operis fuit momentum, calculum tandem, cum maximo fragore, ac summâ vesicæ dilaceratione, latebris suis propellere. Quod audax magis, quàm prudens, incœptum ex animi sententiâ ubi successisset, procumbente jam humi, qui bellum ipsi intulisset, hoste; accersivit Chirurgum, quo, consutis vulneris oris, ritè obligaretur, quam sibi inflixisset, plaga. Cujus caro etiam tam feliciter increvit; ut affulserit non exigua sanitatis spes: at offensa fuit major, quàm ut vesica, tantoperè dilacerata, solidaretur sine hiatu, sive ulcere perpetim manante.

Calculus autem hic ovo gallinaceo major, ac ponderans uncias quatuor, eò majorem movit admirationem, quò felicius prodierit solius manus adminiculo, sine requisitis instrumentis; idque ab ipso ægro, cui omne præsidium duntaxat fuit ab audaciá, uti confidentia à solâ impatientiâ Quâ certè inaccessâ erectioris spiritus fiduciâ, ut nulli cessit; sic etiam inferior nequaquam fuit illis, quorum constantiam speciosè commendant veterum monumenta. Adeò inter-

terdum, quos ratio non restituit, adjuvat temeritas!

CAPUT XXXII.

Testis perperam exsectus.

TUrgidum ac prædurum adolescentis testem præcisuri Chirurgi, noluere illum amputare, nisi elicito prius pure, quod sibi imaginabantur inibi contineri; at successu, supra quam cuiquam credibile foret, infelici. Adapertus enim scalpello testis adeò pus, quod arbitrabantur excretum iri, non effudit, neque detumuit; ut potius plurimum intumuerit, profusâ tantâ sanguinis copiâ, ut necesse fuerit ab incœpto desistere, & inchoatum opus in sequentem diem differre. Ante cujus adventum, jam inflammari testis, accendi febris, opprimi præcordia, ac tam acerbè dolere lumbi latusque incisum: ut æger, propè exanimatus, videretur versari in præsenti vitæ discrimine; nisi actutùm obviam ivisset provida exsectio, eximendo festinanter testem, involucris suis, quibus scroto adhæret denudatum. Qui ut bilanci impositus ponderavit uncias sedecim; sic discessu suo confestim sublatum ivit periculosissima hæcce symptomata.

Quibus mitigatis, ac vulnere myrrhâ, aloë, melle, vinoque ritè deterso, ante duode-

cimum fuere omnia integrè ſolidata, ac firma cicatrice obducta. Unde exemplum ſibi capient Chirurgi, non identidem, neque interpolatis vicibus; ſed ſimul ac ſemel exſecandum teſtem, amputationi deſtinatum: in quo hujus curationis ſumma.

CAPUT XXXIII.

Pancreas ſuppuratum.

AT videte, quæſo, ulteriorem exſecti hujus Juvenis fortunam; quem, quaſi natum ad miſeriam, ductâ jam formoſiſſimâ uxore, febris quartana, paucis pòſt annis, in eas, contra morem aliorum hominum, redegit anguſtias: ut nequiverit unquam in cubili quieſcere, nedum, urgente etiam vel maximâ dormiendi neceſſitate, ſive nocte, ſive die, ſomnum capere; niſi vel pronus conſideret in ſedili, vel caput in lecto haberet ſublime: interdictâ ipſi quaſi omni decumbendi copiâ. Corpore enim vel minimum, ſive retrorſum, ſive in alterutrum latus, inclinato, dici vix poteſt, quàm acerbos illicò perſentiſceret dolores, cùm in lumbis, tùm in ventre; quorum cruciatibus, quâlibet febris acceſſione, tam miſerandum in modum excarnificatus fuit: ut, oppreſſus miſeriis, ne dicam enectus, non invitus tandem è vita diſceſſerit, factâ Medicis copiâ inquirendi in naturam luctuoſorum ſymptoma-

matum; quorum effrenatis insultibus ne Hercules quidem par fuisset.

Invenit autem Anatome jecur inflammatum, intestina vitellina, ventriculum verò atrâ bile perfusum, eandemque in turgidis omenti ac multijugis lienis venis, quarum congeriem vas breve perperam vocant, adeò copiosam: ut, coram omnibus, digito inde exprimeretur. In varicosis vasorum spermaticorum anfractibus, vesiculisque sub vesicâ positis, ob exsectum alterutrum testem, plurimum stabulabatur seminis. Sed potissimam admirationem movit pancreas, supra infraque ut extuberans ac turgidum; sic intus sordido pure, ac viscidâ pituitâ, impendio nimis infarctum. Cujus pondere depressis occlusisque venæ cavæ, ac arteriæ magnæ, tunicis, visceri huic suppositis, ut emarcuit juvenile hoc corpus, genio suo defraudatum; sic excitavit contumax ipsius obstructio summas illas præcordiorum angustias, quæ comitabantur quascunque febris accessiones: incalescente procul dubio putridâ hujus visceris proluvie, sive ab incendio febrili, sive à pulvinorum calore. Cujus vapores deinde in ventrem, spinalem medullam, cerebrumque delatos, ecquis non videt excitasse dira illa symptomata, quibus corpus hoc cottidie fuit exagitatum.

At enim verò, quamvis inter Medicos necdum convenit de vero pancreatis usu; cer-

to tamen certius est, inibi locum invenire diutinos ac inextricabiles morbos: veluti tabem dorsalem, febres productas, scirrhos, abscessus, steatomata, vomitum, inquietudines, vigilias, aliosque perniciosissimos affectus. Qui ex hoc fonte, quasi ex Pandoræ pyxide, non infrequenter erumpunt, ad perniciem humani generis: testibus Fernelio, morb. lib. VI. cap. VII. Joanne Riolano, anthropog. lib. II. cap. XVI. & Fabricio Hildano. cent. I. obs. LXXI.

CAPUT XXXIV.

Coles gangrænâ obsessus.

CHirurgi, curaturi colem gangræna obsessum, imposuere incisæ cuti, præter myrrham, aloën, extractum absinthii, ac spiritum vini, conveniens cataplasma. Quo tamen parùm aut nihil proficiente, devenere tandem ad ferramenta candentia; quæ, latè profundèque bis inusta, adeò vitiosam hanc infregere labem: ut coles, quem verebantur pessum iturum, brevi ad pristinum valetudinis statum sit reversus. Disce idcirco, quisquis es, non semper blandâ, verùm interdum crudeli etiam, medicinâ ægris suppetias ferre; & extremis morbis, exquisitè extrema convenire remedia, secundum aphorismum.

CAPUT XXXV.

Calculus urethræ.

FIlio Rectoris Campensis succreverant, ab ineunte ætate, in medio urethræ ductu, plurimi calculi, qui illum paullatim distenderunt, adinstar pugni puerilis; adeò ut singuli distinctè manu palparentur: illato tamen ne minimo quidem impedimento urinæ exituræ. Quem tumorem, sextò demum ætatis annô, ablaturus Chirurgus, aperuit scalpello colem, prope lineam intermediam, in musculis, urethræ dilatationi dicatis; eductisque inde quinque & viginti calculis, instar maximorum pisorum, perduxit vulnus ad cicatricem, puerumque ad pristinam sanitatem, ante diem sextum: sine ullo alicujus fistulæ metu, nedum pervio hiatu, per quem invito efflueret vel minima urinæ guttula, usque in decimum, post sectionem, annum.

CAPUT XXXVI.

Coles sine urethrâ.

IN formando fœtu quantumvis haud immeritò admiremur impervestigabilem Dei omnipotentis sapientiam; occurrunt tamen non raró, in recens natis, haud levia, errantis ac deviæ Naturæ, vitia: quorum nonnulla li-

licet emendet ars medica; respuunt tamen alia invicem omnem ipsius opem. Sic præciditur quidem facilè sextus digitus; neque gravatè interdum aperitur tunica, colem, anum, ac muliebria, præter Naturæ ordinem, obturans: at quis, quæso, corrigit, quod vel negligentiùs formavit, vel omisit, aut in occulto alicubi abdidit, moderatrix rerum Natura? Quisquis hìc manum admovebis, laterem lavabis, neque proficies hilum.

Filio Numularii Britannici, cætera sano, fuit jam inde usque ab incunabulis coles impervius, sine urethrâ, ullovè seu lotii, sive seminis, ductu. Cujus tamen lineamenta videbatur quasi adumbrare incurvus aliquis sinus, in colis cute subtus excavatus: fluente interim urinâ per exile aliquod foramen, quod in scroti rugis devia efformaverat Natura. Quod profectò spectaculum parentibus summè fuit triste ac miserum. Qui propterea nullum non movere lapidem, quo pulchram quidem, sed infœcundam prolem suam vindicatum irent ab inextricabili hoc errore. At ferendum fuit, quod nequiit immutari.

Quam eandem calamitatem, paucis post annis, denuo conspeximus, in juniore quodam hermaphrodito: cui urina profluxit non tam per colem, nimis teretem; quam per angustum aliquem ductum, qui delituit inter labia sinus pudoris: tunicis undiquaque adeo ob-

obſeptus, atque coagmentatus, ut vix videretur pervius, &, maturâ ætate, ulli uſui ipſi futurus.

Utroque autem infante infelicior fuit ille, qui non ita pridem in lucem prodiit, cum podice planè occluſo, ac cole ita formato, ut alvi feces etiam per illum cottidie excernerentur. Quam tamen abominandam deformitatem, nec incidendo, nec proterendo, dilaniandove, licet vel obnixè adniterentur, corrigere potuere, etiam ſagaciſſimi Chirurgi: hærente penitius, inſanabilis mali, radice; quam ut humanâ exſtirparetur induſtriâ.

CAPUT XXXVII.

Mictus calculorum fractorum.

NIhil Medicis frequentius in ore, quàm medicamentum calculos frangens. At videſis arenoſos, ac molles duntaxat, intelligas: ſilices quippe, ut vix comminuunt mallei; ſic profectò multò minus acris aliquis humor, qui fortaſſis aptior foret exedendis tenuibus veſicæ tunicis, quàm præduris lapidibus. At excogitabit fortè aliquis remedium, quod, ſine aliarum partium jacturâ, ingenitâ proprietate, ſolos calculos diſſolutum ibit. Cujuſmodi memini aliquando à locuplete mercatore, multis florenorum millibus, obnixè quidem

quæ-

quæſitum; at hactenus à nullo mortalium inventum.

Thomas Fontanus, ſenex ſummè humanus, exantlatis aliquamdiu acerbiſſimis urgentis urinæ cruciatibus; eminxit tandem plurimos calculos, colore varios, & formâ moleque diſpares: quorum alii in conſpectum prodiere glabri ac politi; alii viciſſim angulares vel ſphærici; imò nonnulli, quaſi ſerrulâ à ſe invicem præciſi. Quod inuſitatum ſpectaculum eò majorem movit admirationem, quò deinceps excreverit plures, effractorum calculorum, cortices: qui, æquantes unguem humanum, ſeni, ſeptenive ſingulis interdum prodiere diebus.

Attonitis interim, & haud parum ſuſpenſis Medicis, quò referrent hanc calculos effringendi, ac poliendi vim: donec ægro, ob urinæ omnimodam ſuppreſſionem, ad meliorem vitam tranſlato, Anatome veritatem, quaſi ex umbrâ, in claram lucem produxerit. Fluctuabant enim in veſicæ fundo undecim calculi: quorum maximus, fragili cortice tectus, quaſi alter Actæon, à continuo inæqualium calculorum occurſu, adeò fuit detritus, ut plurima inde diſſilierint fragmenta; quæ deinde cum urinâ emingerentur. Præter quem multijugum, lapidum fragmentorumque, acervum, familiæ ibidem oſtendimus, tres calculos, ſatis inſignes, qui veſicæ

ficæ tunicis adeò fuere involuti, ut ne lynceis quidem oculis illos perſpexiſſes; niſi ſcalpellum involucra abſtuliſſet: cujus beneficio duos etiam calculos animadvertimus in renibus latitantes.

Ecquid egiſſes, Lithotome! in hiſce ſyrtibus? obvios fortè calculos facile eduxiſſes; at quî eruiſſes tunicis incluſos? vis ſignem tibi, quam deinceps ſequaris, cynoſuram? quæ ſupra hominem, Deo committe, & conſule non minus tuæ famæ, quam ægrorum ſaluti.

Verùm enim verò, quàm latus hìc patuit campus illis, qui nihil non remediis ſuis acceptum ferunt, ſive verè, ſive falsò: prædicaſſent quidem ſpeciosè commentitiam ſuam gloriam; ſed quàm turpiter deinde aliis ludibrio fuiſſent, veritate, ab Anatome, è latebris erutâ: næ illi in ſpeciem quidem apparuiſſent Medici, at revera nugivendi, ac ſycophantæ.

CAPUT XXXVIII.

Cancer veſicæ.

MEdici æquè loquuntur de externo ac interno cancro; at quis eorum fecit unquam mentionem carcinomatis veſicæ urinariæ? cujus tamen nobis oblatum fuit dilucidius exemplum, quàm oblivionis velo ut obli-

obliteraretur ; non quo remedium quis expiſcetur malo inſanabili, quod curationem recipere nequit: verùm ut conſtet, non quodcunque veſicæ tormentum protinus vel calculo, vel ulceri; quin potius nonnunquam deſperato huic cancro acceptum ferendum.

Mercator Brabantinus, poſt exſectum, in pueritiâ, calculum, nunquam deinceps lotium per colem, verùm ſemper per anum reddidit; relicto ibidem loci, à ſectione, hiatu, non minus in anum, quam veſicam, pervio. Quâ inordinatâ urinæ excretione, cætera ſanus, ad quadrageſimum ætatis ubi perveniſſet annum; incœpere ipſum affligere lumborum dolor, urinæ acrimonia, perpetuus dejiciendi conatus, ac perennis pruritus in cole: è quo tamen, vix atque ne vix quidem vel minima deinceps prodiit guttula. Quibus incommodis, præ verecundiâ, integrum decennium clam habitis; imploravit tandem opem medicam, & quidem seriò, ſed ſerò. Ecquid enim ageres, malo jam penitius inſidente, quàm ut poſſet radicitùs exſtirpari? urinam nunquam reddebat ſine inſigni doloris ſenſu; &, quicquid ejus ab ano efflueret, id aut arenulis, aut membranis calculoſis ſemper fuit permixtum. Brachia continuò erant tremula, & vigiliæ indefatigabiles, cum febre lentâ, anorexiâ ventriculi, ac tam pertinaci alimentorum faſtidio: ut vel ſola eorundem mentio

ſæ-

ſæpenumerò nauſeam ipſi moverit. In quorum tamen omnium ſymptomatum concurſu, nihil ipſi ſuppetias tulit, præter Laudanum opiatum; ex cujus duobus duntaxat granis, integrum interdum vixit triduum, ſine evidenti moleſtiâ: donec, proſtratis jam viribus, ac corpore fame doloreque quaſi enecto, ab ipſius uſu conſultum videretur abſtinere, in procinctu jam morte, quæ miſerrimæ ipſius vitæ finem imponeret.

Adaperto autem cadavere, vidimus dextrum latus renis expers; in ſiniſtro verò, eundem pure, ac ſteatomate, infectum. At potiſſima ærumnoſi hujus mali cauſa fuit, ſordidum ac inæquale carcinoma: quod quoquoverſum ambiebat meatum illum, qui digiti latitudine deſcendebat, à veſicâ urinariâ, in inteſtinum rectum; per quod, annis plus minus decem, cum intolerabili doloris cruciatu, lotium profluxerat miſerrimo huic ægro. Cujus fortunam ne deinceps & alii ſimiliter cogantur ſubire ægroti, obnixè rogatos volumus Lithotomos, ut, quantum in manu ipſorum fuerit, omnem impendant operam, quo inpoſterum firmiter glutinentur vulnera, ab ipſis præciſa.

CAPUT XXXIX.

Gangræna partium naturalium.

INnumera in fœminas cadere incommoda, menſtruis, poſt partum, minus proſpere ſuccedentibus, vel tyroni notum. At cui cognitum exploratumve? omnem expurgationis uterinæ impetum confertim propelli in partes naturales, illaſque inde, non tantùm extrinſecus protuberare; verùm gangrænâ etiam obſideri. Quorum infeliciſſimorum eventuum duo nobis oblata fuere exempla, & utrumque puerperis æquè exitiale.

Matrona locuples, difficillimè enixa, cui nihil poſt partum, ex Naturæ lege, à vulvâ ſecederet, doluit impensè circa naturalia, præ inſigni illorum tumore: quem tamen invitiſſima quum oſtenderet, ſategimus quidem, cum per clyſteres ac potiones; tum per fomenta ac olea, opem adferre. Sed oleo ac operâ deperditis, maloque indies invaleſcente, evicit tandem pudorem, factâ copiâ illius tumoris, quem neceſſitas non ſinebat ulteriùs celare.

At fluxus uterinus tam liberè, tantoque impetu, jam tum ſe effuderat, in declives haſce partes: ut eroſæ ac diſtentæ, ab acri ac fervido hoc uteri excremento, jam induiſſent naturam gangrænæ; cum cute nigrâ, febre ardente,

ente, crebro animi deliquio, imi ventris dolore, ac ſummis præcordiorum anguſtiis. Quorum graviſſimorum ſymptomatum vehementiâ, adactus Chirurgus, aperuit non ſolùm ſcalpello locum, exemitque inde plurimum concreti ac grumoſi ſanguinis, ſeu veras infuſorum menſtruorum reliquias; verùm ſategit quoque loca ſincera defendere, &, quod induruerat, in pus convertere: cujus voti propemodùm compos, conceperat certè non exiguam ſanitatis ſpem.

Sed heu vanas hominum ſpes! & incerta conceptæ valetudinis argumenta! vix animos fecerat ſperata victoria, quin protinus omnia in pejus ruere, atque ante duodevigeſimum intervenire puerperæ inexſpectatum vitæ exitium; ſecundùm illud Celſi: „ Adeò in Medicinâ, ubi etiam perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod ſequi convenit.

CAPUT XL.

Embryo fruſtulatim per alvum excretus.

MArgareta Cornelia, nupta viro, & octo plus minus annis ſterilis, nulliuſque prægnationis ſibi conſcia, ubi prolapſa fuit in febrem, doluit acerbè in imo ventre, cum tumore, circa ſiniſtra inguina, foris quidem duro, at intus pulſatili. Quem vir experientiſſi-

tissimus, Franciscus Vicquius (cui posteritas exemplum acceptum feret) , ratus cum utero communicare , partim potionibus , partim cataplasmate eò produxit maturitatis , ante diem sextum decimum : ut, per se adapertus, pus suum effuderit, parcius quidem ab utero; verùm ab alvo deinde uberius. Unde dolor usque eò remisit, ut affulserit non exigua sanitatis spes: modò ritè detergeretur immunda ulceris proluvies.

At paucis diebus pòst , invaluere iterum dolor ac febris : quorum impetus quo infringeretur , datum fuit medicamentum alvum stimulans. Cujus beneficio cum excernerentur plurima membranosa , putridis vermibus similia : decretum fuit eandem viam insistere, reliquamque illius saburræ colluviem exigere, cùm per decoctum detergens , ac catharticum ; tum per pulverem oculorum cancri , hieræ picræ , ac radicis contrayervæ , sive drakenæ Caroli Clusii. Quorum medicamentorum ope , erupere per alvum , pedes embryonis demortui, membraneo involucro inclusi. Quos manu suâ educturus Chirurgus extraxit simul inde, quâ fuit diligentiâ , femora, nates, ventrem , imo quicquid fuit, infra lumbos, cum cute, carne, umbilico, ac evidente sexus fœminei discrimine.

Sequentibus deinde tribus costis , ac postridie, à medicamento purgante, præter plurima

rima purulenta, omnibus manus ossiculis, cum cute ac ligamentis adnexis, duabusque costis, haud diu pòst, similiter excretis. Subsistente interim reliquo corpore, non quidem procul ab ano; attamen remotius, ac intricatius, quàm ut, digitorum adminiculo, inde extraheretur. Quocirca itum fuit ad clysteres detergentes, & decocta alvum moventia: quæ, tertiâ qualibet horâ, exhibita, plurimas quidem putridas membranas, sed nihil expulere solidi. Increscentibus interim denuò imi ventris doloribus, & abdomine intra triduum, usque eò, iterum elevato, potissimum circa pubem, ac inguina dextra: ut non levis moveretur suspicio, ægram parituram, uterumque excreturum, quod à vitiato embryone ibidem etiamnum resideret. Quem Naturæ conatum cum cottidiè juvarent cùm decocta, tùm cataplasmata, ac injectiones in uterum ac alvum, uti & pulveres, concinnati ex oculis cancri, ac radice contrayervâ; excrevit tandem, præter plurima purulenta, costæ, brachii, scapularum, spinæ dorsi, occipitis, frontis, ac verticis ossa. Quorum excretione finitâ, ac jam cessantibus, quibus aliquamdiu excarnificata fuerat, torminibus; desiere non modo febris ac dolor, verùm etiam quicquid ipsi molestum fuisset: injecto nihilominus subinde in uterum, ad conciliandum ipsi robur, decocto, concin-

nato ex roſis, abſinthio, cypreſſo, balauſtiis, plantagine, maſtice, ac olibano; donec, defuncta ex toto periculis ac ærumnis, quibus per tres menſes fuerat afflicta, priſtinam recuperaverit ſanitatem. Quæ certè, quam grata fuerit ipſi, tam raro erit Medicis, hiſtoriam hanc lecturis.

CAPUT XLI.

Partus inteſtinum lacerans.

PArtus difficilis ut inducit deformem claudicationem, ob ſolutam, vel oſſium pubis inter ſe, vel ilei cum ſacro, commiſſuram; ſic dilacerat non raro, ſive ſinum pudoris, ſive anum, aut inteſtinum rectum: cùm propter perverſum infantis exitum, tùm ob nimiam ejuſdem molem, aut culpam aliquam obſtetricis.

Quod poſtremum vitium ſicuti ægrè curatur; ita degenerat quoque facillimè, in calloſum ac manans ulcus: ob perennem, in locum declivem, ſordidorum excrementorum, decurſum. Cujus tamen infortunii quo evites calamitatem, videſis maturè infundas, antequam inveteraverit ulcus, per anum ac naturalia, frequentes adſtringentes ac detergentes clyſteres: quorum aſſiduo uſu, equidem aliquando vidi deformia hæc mala ex toto ſanata. Quæ tamen ubi ſemel pedem fixe-

fixere, in lubricis ac rugosis harum partium membranis, laterem lavabis, quisquis illis manum admoveris.

CAPUT XLII.

Secundæ post partum retentæ.

SEcundæ, sive ὕστερα Hippocratis, lib. 1. morb. mulier. sunt involucra membranea, quæ in vulvâ fuere velamentum infantis. Has expedit, è vestigio, sequi præeuntem fœtum. Tardius enim procedentes, arguunt aliquid monstri ali. Pereuntibus inde quidem pluribus prægnantibus, at non omnibus; uti hactenus perperam creditum obstetricum nonnullis.

Uxor Joannis Lonii, quantumvis partum feliciter ederet, plurimum tamen molestiarum semper perpessa fuit, à secundis suppressis: sive quod firmiùs adhærerent utero; sive ob nimis teretem, gracilemve, infantis umbilicum. Quo tamen aliquando satis valido, substitere nihilominus; licet satis validè traherentur à tribus obstetricibus, quas inveni in eodem cum puerperâ cubili: præsagientes ipsi certam vitæ desperationem, quum vix quæpiam mortem evaserit, cui, præter Naturæ legem, hæc excretio fuerit impedita. Quâ inconsideratâ improvidarum mulierculárum prædictione, usque eò perculsus fuit pavidus

puerperæ animus: ut non ſecus ſudoribus diffflueret, ac ſi mors fuiſſet in procinctu.

Quem perplexum terrorem quo ereptum irem, monui, rem quidem eſſe in difficili, & aleæ admodum ancipitis; nihilominus aliquibus tamen benè ceſſiſſe, iterumque fieri poſſe, quæ ſemel facta fuere: modò erigeret animum labantem, admitteretque requiſita remedia. Quorum beneficio etiam priſtinam ſanitatem feliciſſimè fuit adepta. Conſtabat autem hæc medicandi ratio, præter clyſteres, ac detractionem ſanguinis ex venâ tali, cùm ex pulvere ſequente, tùm ex decocto hic præſcripto.

℞. Boracis Veneti, ſuccini albi, ſingulorum ſcrupulum; croci, caſſiæ ligneæ, caſtorei, ſingulorum grana decem.

Miſce f. Pulvis.

℞. Radic. graminis, pœoniæ, ſcorzoneræ, cichorei, ſingularum unciam; herbarum acetoſæ, endiviæ, boraginis, meliſſæ, ſingularum manipulum; artemiſiæ, carduibenedicti, ſingulorum manipulum medium; boracis Veneti, drachmas tres: coque ex aquâ hordei ad libras duas; quibus adde ſyrupi artemiſiæ, ac limonum, ſingulorum uncias duas.

f. Potio.

Qui-

Quibus medicamentis non modò hanc ægram; verùm etiam & alias puerperas, vidimus excrevisse plurima laceræ membranæ frusta, sanie ac sordibus undique infecta: iisque ritè exoneratis, recuperasse amissam sanitatem, sine vel minimâ, aut virium, aut valetudinis, jacturâ.

CAPUT XLIII.

Penicillum ligneum.

VIr obesus, aquâ intercute ad desperationem Medicorum obsessus, expetiit obnixè, prominentem umbilicum scalpello sibi incidi, quo exitum inveniret aqua, impendio nimis molesta. At illi operi antequam se accingerent Medici, livere jam tum cutis, perrodi peritonæum, ac locus, sectioni destinatus, per se tam latè hiare: ut facilè plus aquæ spontè effluxisset, quàm vel Medicis acceptum, vel ægro ex usu fuisset.

Cui incommodo obviam iturus Chirurgus, excogitavit penicillum ligneum, quo nihil potuit inveniri ejuscemodi vulneri convenientius. Interpositum enim hiatu, obthurabat illum integrè, adeò ut, ne guttula quidem liquoris, invito efflueret. Quem tamen siquidem placuisset educere, erat penicillum hoc foris quidem convexum, atque obtusum, ne læderet vulneris oras; sed intus ex-


penicillum ligneum hijdropicis utile
tab. XVI
A. penicillum.
B. operculum.
C foramen.
B
C
4

cavatum, & operculo tectum: quo remoto licebat, pro arbitrio ac voluntate Medicorum, tantum aquæ ex abdomine emittere; quantum consultum videretur. Protuberabat autem hoc penicillum, instar pinnæ, in medio tornatilis alicujus circuli; qui depressis fasciis linteis, tam arctè occludebat dissitas vulneris oras, ut adimeret omnem profluvii metum.

Quod ligneum instrumentum, dexterrimè tornatum, equidem profecto, eò lubentius æri curavi incidendum; quod in paracentesi, coërcendis hydropicorum aquis, nihil illo accommodatius, juxta mecum, judicaverint Franciscus Vicquius, Arnoldus Tholingius, ac Gulielmus Canterus, Viri in artis operibus experientissimi. Ut enim, invitis œnopolis, à musto facilè rumpuntur dolia; sic etiam effundit interdum turgidus venter plus aquæ, quàm ægri, sine vitæ jactura, sint ferendo. Quem ipsius impetum siquidem satagis solis linamentis, aut impositâ manu duntaxat impedire, facilè pessum eunt ægri: cujus tristissimi eventus, non unum exemplum nobis notum. Ac proinde sedulò Chirurgis inculcandus necessarius lignei hujus penicilli usus; ubi cogitant de educendis hydropicorum aquis: ne videantur periisse culpâ curantis, quos occidit inevitabilis moriendi necessitas. Ad quem scopum utique collimat tubulus argen-

genteus, inſtar catheteris pervius; per quem aqua ſimiliter commodiſſime, ſive parcè, ſive copioſè, pro lubitu educitur.

CAPUT XLIV.

Hydrops peritonæi.

JUgitta, uxor pictoris Flinchii, cui venter ab ineunte ætate fuerat durus ac diſtentus, ſenſit eundem, menſtruis minus convenienter fluentibus, cottidie magis magiſque elevari, paullatimque in eam excreſcere molem; ut contineret centum & decem aquæ libras: uti, poſt ipſius obitum, omnium oculis expoſuit Anatome, verus medicinæ oculus. Quod tamen exuberans aquarum pondus, ſine magna corporis ac virium jactura, tam aptè, ſeptem plus minus annis, tulit mulier animoſa: ut potuerit, perinde atque ſaniſſima, non quocunque tantùm deambulare; verùm etiam peregrè proficiſci, &, quod mireris, adſcendere excelſam Clivenſium turrim.

Diſſecto verò cadavere, ab induſtrio Chirurgo, Jobo Mekerano, coram Samuele Coſtero, Gulielmo Piſone, ac Franciſco Vicquio, Sylvio, & Scaga, apparuit, omnem hanc aquarum congeriem, delituiſſe inter duas peritonæi tunicas, quæ induerant craſſitiem digiti annularis. Sub quarum infima parte conſpiciebantur pleraque omnia viſcera, ut ſarta

ac

ac tecta; sic etiam ab omni omnino incommodo ac detrimento integra ac tuta: præter renem sinistrum, qui justo erat major; & cœcas uteri venas, sive tubas Fallopii: quas, per peritonæum dispersas, quantumvis oculus in dextro latere viderit conspicuè tumidas, ac protuberantes; intus tamen erant planè impervìæ, adeoque obthuratæ: ut ne minimus quidem fistulæ flatus illas transiret. In quo fuit morbi hujus incertum: latitante in occulto illa viâ, per quam aqua profluxisset in peritonæi vacuum.

Quod profectò rarum atque inauditum hydropis genus, quandoquidem non meminerim me legisse, in ullis Medicorum monumentis; sed solo duntaxat auditu intellexisse, à Viro præclaro, Guilielmo Strateno, Principi Arausionensi à medicinis, qui ibidem loci simillimum hydropem sectione deprehenderat in virgine, de cujus pudicitiâ perperam dubitabatur: operæ fortassis pretium facturus videor, siquidem id ab oblivionis injuriâ asseruerim; non tàm ob insolitum aquarum situm, quem tamen confido eruditis fore gratissimum; quàm ob summum, quod ægroti inde percepturi sint, emolumentum. Quibus idcirco, in hoc peritonæi hydrope, longè securius expeditiusque, παρακέντησιν instituent Chirurgi; quàm in ullis aliis ejusdem morbi speciebus. In quibus viscera naturalia, à circum-

cumfluâ aquâ, uſque adeò plerumque vitiantur; ut, illâ etiam ſubductâ, nihilominus moriantur ægri: cùm, in hac peritonæi aqua, exta maneant illibata, ac planè ſecluſa ab irriguo, acrioris humoris, attactu. Unde procul dubio venit, quòd mulieri huic manſerit conſtans ac infractus, valentis corporis, vigor. Ad quem etiam neceſſe erit oculum convertere, quiſquis deinde conabitur ſcalpello elicere, quam peritonæum continebit, aquam.

CAPUT XLV.

Hydrops in cornibus uteri.

IN cornibus ac tuba uteri, ut fœtum non ſemel animadvertit Joannes Riolanus, anthropographiæ libro II. cap. XXXIV. ſic nobis contigit videre, in eadem parte, aquam hydropicorum; utero interim ipſo plane vacuo, ac nullo omnino humore imbuto: uti declaratum ibit, quod ſequetur, exemplum.

Cathalinæ Bonevalliæ, adverſa valetudine, ob ſuppreſſa menſtrua, aliquamdiu uſæ, induruit tandem abdomen; increſcendo paullatim in eam molem: ut, præ pondere aquarum, novem annis moleſtiſſimè vixerit, antequam aut laborum aut vitæ invenerit finem. Quem tamen adepta fecit Medicis copiam inſpiciundi miſerrimum ſuum cadaver. In quo, præter omentum putridum, jecur pallidum, lie-

Hydrops cornuum uteri.

tab. XVII



AA Cornua uteri, aquâ referta.
O uterus. + vesica, urinaria.
dd intestinum colon. b testis.

lienem parvum, ac inteſtinum colon loco motum, videre fuit utrumque uteri cornu continuiſſe novem circiter aquæ puriſque libras, incluſas innumeris veſicis; quarum aliquas etiam oſtendebat extima uteri tunica: licet in vacuo ipſius ne minima quidem occurreret guttula. Quàm eandem rerum faciem Joannes Riolanus etiam ſimiliter aſſerit obſervatam, in illis uteris, quorum cornua produxere, quos commemoravit, fœtus.

CAPUT XLVI.

Tertiana quadruplex.

SIcuti raró occurrit febris quintana; ita quoque longiſſimè deſiderant nonnulli Medici, atque adeò vix unquam vident, tertianam quadruplicem: cujus tamen evidens ſpecimen, juxta mecum, aliquando conſpexit experientiſſimus Medicus, Antonius vander Linden, in Henrico Hamelio, rerum Indicarum præfecto. In quem, poſt duplicem tertianam, quaſi concitato impetu, vidimus irruiſſe inuſitatam hancce febrem, intra bidui curriculum, quatuor circuitibus in eundem ordinem revolutam: bis die incipiendo, bis die deſinendo; & quidem, ſingulis acceſſionibus, tàm cum rigore in principio, quàm cum ſudore circa finem: durante qualibet integritate, horas circiter ſex.

Quod

Quod profectò intervallum brevius fuit, quàm ut ægrò licuerit vel noctu dormire, vel interdiu convenienter cibùm capere; nedum Medicis copiam facere, sive sanguinem detrahendi, sive materiam demendi, aliave, quæ ars requirit, peragendi. Quâ de causâ tardius quoque devictum fuit malum hoc, tædii plenissimum: in quo licet minimum periculi, plus tamen fuit molestiarum, quàm quantum quis cogitasset.

CAPUT XLVII.

Febris syncopalis.

FEbrem syncopalem producit cùm pituita cruda, tùm bilis porracea; vellicante utroque humore, usque eo, sensibile ventriculi orificium (quod vix latum unguem à cordis apice distat): ut vicinum illud viscus facilè in consensum trahatur; excitato animi deliquio, à virulentis, hujus febris, vaporibus. Uti luce clarius videre fuit, in Gertrudâ Clouck, quam bilis porracea, circa ventriculi ingressum plus æquo exuberans, conjecit in febrem hanc syncopalem: cum nauseâ, anorexiâ, ac tam vehementi animi deliquio, qualibet exacerbatione ipsam invadente; ut videretur actutùm è vitâ discessura: nisi opem tulisset quod sequitur medicamentum.

℞. Succi azari. ʒij ß. oxymellis simplicis. ℥ j. aquæ hordei. ℥ ij. misce f. Potio.

Cujus beneficio ventriculus ejecit æruginosam ac porraceam bilem, seu veram angustissimæ hujus febris causam; eâque excretâ, ex morbo planè convaluit.

CAPUT XLVIII.

Calculus vesicæ cervicem deserens.

JOanni Trassato tantum negotii, in senectute, facessivit calculus vesicæ: ut non modò vix unquam mingeret, sine acerbo urgentis urinæ cruciatu; verùm rarissimè quoque deambularet, sive sub dio, sive in porticu, sine evidente doloris sensu: ob calculum, vesicæ cervicem, miserandum in modum, excarnificantem. Donec tandem, doloribus ac punctionibus cessantibus, liberè denuo urinam reddiderit: adeptus non solùm copiam agendi iterum negotia, à quibus aliquamdiu abstinuerat; verùm etiam quocunque proficiscendi, perinde atque sanissimus.

Quam inopinatam rerum faciem, ut summè admirabatur æger; sic non levem conjecturam movit Medicis, calculum stationem suam, ex quâ tam atrox intulisset bellum, seu remediis, sive tempore, deseruisse: indeque turbas resedisse, pacemque corpori tandem concessam. A quâ tamen sententiâ æger adeò fuit alienus; ut potiùs crediderit, se nihil unquam à calculo, verùm omnia ab indurato

ali-

aliquo tumore, cujus pondus etiamnum circa anum persentisceret, perpessum fuisse: mansitque ipsi hæc opinio ad extremum vitæ halitum. Facto vivendi fine, per omnimodam urinæ suppressionem, ubi integrum quinquennium satis commodè habuisset; & productâ, ab Anatome, in lucem veritate, quæ hactenus delituerat spissâ caligine sepulta. Cujus beneficio vidimus durum aliquem tumorem, prope vesicæ cervicem situm, in causâ fuisse, quò minus profluxerit ipsi lotium, sive spontè, sive meatu quoque per catheterem reserato; idque ex vesicâ, aquâ, id temporis, maximè repletâ. Quod inusitatum tumoris genus, instar carunculæ tunicâ inclusæ, ante vesicæ exitum propendens, uti huic ægro exitio fuit; sic etiam clanculum aliorum vitis fortassis insidias struxit: ignorantibus Medicis, quo referrent exitialem, suppressæ urinæ, caussam. Ea enim fuit tumoris forma, ut elevata à cathetere illum tamen ita complecteretur; ut nihilominus impediretur urinæ effluxus. In quo haud leviter admirari licuit impervestigabilem Dei sapientiam, cui nunquam desunt ministri, quibus animam ex hoc ergastulo ad meliorem evocet vitam.

Sed quid dicemus de calculis, qui primum maximum, deinde verò nullum, excitarunt cruciatum? erant hi duo, & quidem satis ingentes, in principio, attritu suo, vesicæ cer-

vici molesti; mox verò pondere suo adeò extenderunt sequacem vesicæ membranam: ut paullatim descenderint, ad quatuor transversos digitos, à priore statione; provoluti quasi in sacculum, vesicæ adhærentem. In cujus receptaculo, etiam calculum suum dicitur conclusum habuisse Vir incomparabilis eruditionis, Isacius Casaubonus. Fuitque hæc loci mutatio, verissima causa illius levaminis, quod æger percepit postremis vitæ annis; deficientibus Deo Optimo Maximo nunquam auxiliis, quibus, etiam sine Medicorum ope, ab intricatissimis morbis vindicet miseram hominis vitam.

CAPUT XLIX.

Præpostera pulsus exploratio.

CONsul Amstelredamensis, leviter ægrotans, admovit continenter manum carpo, quasi exploraturus arteriæ motum, ejusque indicio deventurus in naturam sui morbi; at, ignarus proprietatum pulsantis arteriæ, adeò non fuit voti sui compos: ut potiùs summè, inordinato hoc attactu, interturbaverit naturalem arteriæ concentum; inducta ipsi evidente pulsus intermissione. Quam ubi animadvertit Medicus, suspicatus fuit nescio quid monstri intus ali. Sed, compertâ postmodùm rei veritate, deterruit ægrum ab in-

con-

consideratâ hac arteriæ exploratione, quæ facilè plus damni, quàm emolumenti, adfert: excitato vel panico aliquo terrore, vel imaginariâ ejuscemodi mœstitiâ, ex quâ facillimè ægroti in febrem hecticam præcipitarentur. Quibus monitis Consul fidem habens, sustulit prudenter manum de carpo: restituendo, hac ratione, non solùm pulsui pristinam harmoniam; verùm etiam corpori sanitatem penè ademptam.

Quam etiam sibi haud parum labefactatum eunt illi Medici, qui, ægrotantes, idem jus in propriam arteriam sibi esse credunt, quo sani utuntur in aliorum carpis: ignari, ægram manum facilè titubare, ne dicam errare; inductoque mœrore imaginario, haud parum dejicere animum, quem, in morbis, magis expedit esse alacrem ac erectum, quàm prostratum ac mœstum, secundùm illud Celsi: „Convenit ægros securos agere, ut corpore „tantùm, non etiam animo laborent; &, si „quæ sint, quæ ipsorum animos exasperatura „sint, optimum est, ea, dum ægrotant, ipso„rum notitiæ subtrahere.

CAPUT L.

Mors à luxato pede.

QUantumvis populus rarò Chirurgis committat curam luxatorum ossium artis ta-

tamen non exiguæ eſt, operam illam ſalutariter corpori impendere. Ecquid enim, quæſo, mirum? ſiquidem is, cui omne præſidium ab audaciâ, vel non ſatis exactè noverit poſitum figuramque cujuſcunque commiſſuræ, læſerit facile, tumultuario ſuo opere, tendines, nervos, venas ac arterias, nullibi quàm circa articulos frequentiores. Quibus tamen improvidè dilaceratis, neceſſe erit, actutum inſequi dolores, inflammationes, ac ulcera; quæ non modò carnem, ligamenta, & oſſa, verùm & ipſam depaſcuntur vitam.

Vir temerarius, magnus tamen in oculis vulgi, repoſiturus Adriano Omnimundo, luxatum tali os, adeò non attigit ſcopum illum; ut potius, fœdum in modum, contorſerit ipſius articulum, excitatis convulſionibus, febre, delirio, imò ulceribus tam frequentibus, ac ſenſus adeò exquiſiti: ut, præ intolerabili dolorum cruciatu, coactus fuerit, ante diem vigeſimum, diem ſuum obire. Quem terminum etiam calcis oſſi, ob ſummum cum univerſo corpore conſenſum, deſignavit olim locuples auctor Hippocrates. lib. de artic. 12. hiſtor. XLVIII. lib. V. epid.

Acri idcirco, ſi ullibi, in hoc ſaltem tali articulo, circumſpectione opus erit. Neque fortaſſis minore diligentiâ, in manibus ac pedibus; in quorum mæandris, ac diverticulis, facilè videas plures, à retento acri pure,

oberi-

oboriri abſceſſus, quàm vel natura humana ferendo, vel Chirurgorum induſtria fuerit curando.

CAPUT LI.

Pes ſpontè à corpore ſejugatus.

COnſuli Amſtelredamenſi, ſeptuagenario, conſultum à Medicis, ut curaret ſerrulâ ſibi præcidi, quæ in curiæ gradibus, minutatim effregerat, circa tali articulum, ſuræ tibiæque oſſa; utpote quæ nullâ aliâ ope poſſent juvari: miſerum quidem id, ſed unicum eſſe auxilium, ac proinde dubiam ſpem certæ deſperationi præferendam. Quibus monitis adeò non paruit homo, imperio aſſuetus; ut potiùs, ſibi indulgendo, miſerè perierit: excarnificato non modò corpore a doloribus; verùm etiam tendinibus ac nervis, ob diutinam moram, ac acri pure adeò perroſis: ut pes vitiatus prius, per ſe, ſedibus ſuis exciderit; quàm è vitâ exceſſerit ipſe æger, ſuo arbitrio relictus.

CAPUT LII.

Variolæ epidemicæ.

VAriolæ ac morbili (quos vix quiſquam mortalium in perpetuum evadit) raro cernuntur uniuſmodi; nedum faciunt ſem-

per, ibidem loci, idem ſui indicium. Sed quod ſemel invaſere membrum, illi, deinceps, in omnibus propemodum corporibus, imprimuntur plerumque, prima illorum rudimenta: ſeligentes modo quidem faciem, mentum, jugulum, aut pectus; modò verò manum, aliamve aliquam corporis partem: prout, id temporis, prima hujus eruptionis germina, huic illive membro, circa initium, impoſuit ſagax, ac omnium opportunitatum moderatrix, Natura.

Prodeunt autem hæ puſtulæ fermè in conſpectum, tertio, quartove febris die: primùm quidem rubræ, exiles, ac teretes; deinde verò turgidæ, quæ octavo demum die, diſſipato jam rubore, ipſas ambiente, ubi maturuere, ex toto albicant, &, deperdito ſplendore, brevi corrugantur, inducta obſcuriore cruſtâ. Quâ utique ſeriùs ac ociùs decidente, revertitur tandem corpus ad priſtinum colorem decoremque; niſi profundior ſuppuratio reliquerit, in cute, indelebilem aliquam deformitatem, cujus ergò, multi perpetim hunc morbum timent: qui tamen, auferendo pernicioſam peſſimorum humorum colluviem, ſanitati ſemper adeò non nocet; ut interdum etiam plurimum illi proſit.

Ipſæ verò puſtulæ haud parum inter ſe diſcrepant, nunc mites, rubræ, rotundæ, & expertes omni periculo; mox iterum lividæ, de-

preſſæ,

preſſæ, ac ſpiritu aquâve diſtentæ: ne quid interim dixerim de nigris, purpureiſve illis maculis, quæ, vel prope, vel in ipſis interdum apparent puſtulis, cum manifeſto vitæ periculo. Quas eaſdem puſtulas interdum videre eſt adeò ſævas ac feroces, ut nulli parcant ætati, ſenibus juxta ac pueris infeſtæ. Et quos non occidunt, illos ſaltem deſtituunt voce, viſu, auditu, inceſſu, aliorumve aliquorum membrorum uſu.

Qualem efferi hujus morbi rabiem, equidem memini aliquando, tanto impetu, in patriam noſtram irruiſſe: ut, præter maximam, quam ederet, ſtragem, ludum dixiſſes jocumque, cæterorum morborum incommoda, præ ut quæ dedit indomitum ipſius contagium. Quod non tantùm infecit quemcunque obvium; verùm etiam interdum quoque corpora, à morbillis adhuc rubentia. Idque cum febre ardente, ulceribus malignis, ac tam perenni, acrioris puris, curſu: ut, exeſis venis, ac ſanguine carnibuſque, imò ipſis oſſibus, vitiatis conſumptiſque, membra redderentur non tantùm exſucca, rigida, ac incurva; verùm etiam omni omnimodo motu deſtituta. Convaleſcentibus autem, ac jam recreandi cauſsâ in publicum denuo prodeuntibus evenit ſæpenumerò (quod etiam peſtilentiæ familiare), ut, nec opinantibus, interveniret, ſive ulcus in adnatâ oculi tunicâ, ſive caligo

in pupillâ, aut aliud aliquod immedicabile glaucoma.

Febri incipienti aderant, præter pulsus celeritatem, inquietudo, lancinans lumborum dolor, facies rubra, vomitus, aphonia, nervorum distentio, delirium, animi deliquium, & interdum morbus comitialis, ac nares sanguine stillantes. Quorum profluvium plerumque insequebantur prima hujus eruptionis indicia; sive in facie, sive in manus dorso. Alvus cita, ut circa morbi initium minimum habuit periculi; sic plurimos occidit sub ejusdem finem. Cui periculo sategimus, pro virili, obviam ire, quæ sequuntur, remediis.

℞. Herbarum plantaginis, verbasci, singularum manipulum; florum rosarum rubrarum, pugillum; seminum psyllii, cydoniorum, singulorum drachmam mediam: coquantur ex lacte ad uncias sex; & additis vitelli ovi dimidio, syrupi è rosis siccis, unciâ cum dimidiâ, cum olei rosacei drachmis duabus: misceantur & fiat Clyster.

℞. Radicis scorzoneræ, hordei mundi, singulorum unciam mediam; scabiosæ, veronicæ, singularum manipulum medium; seminum melonum, ac cucumerum, singulorum drachmas duas; gummi laccæ, tragacanthi, singulorum scrupulum medium: coquantur ex aquâ hordei

dei ad libram, addendo colaturæ syrupi granatorum acidorum, & rob berberis, singulorum unciam mediam:

Misce, fiat Potio.

Ne autem augeretur incendium febrile, per se satis magnum, abstinendum fuit ab antidotis calidis, &, in ipsorum locum, substituenda cornua cervina ac monocerotis marini, crocus Britannicus, lapis porcinus, radix drahena, sive contrayerva, lapis bezoar, tàm orientalis, quàm occidentalis, cum syrupo è carduo benedicto, aliisque malignitati resistentibus, eandemque per cutis spiracula exigentibus, sine evidenti caloris excessu.

Quorum agmen meritò ducit lapis porcinus, sive Malacensis, quem Jacobus Bontius lib. 1. Med. Ind. asserit in hystrice ac apro inveniri: qui, quantum formâ ac colore bezoartico inferior est; tantum usu eundem exsuperat. Quicquid enim emolumenti pulvis bezoarticus semel duntaxat, id ipsum lapis porcinus plus centies, corpori impertitur. Quoties enim liquori alicui per horam solummodò immaceratur; toties eandem vim illi communicatum it: idque cum tam exiguo ponderis decremento; ut vix animadvertas ipsum minui à frequenti usu. Liquor autem ipsius licet aliquantulùm amaricet, ingratus tamen nequaquam est: daturque facillimè potui delicatis corporibus, ac teneræ puerorum ætati;

ti; convenitque maximoperè, (præter febres putridas, palpitationes cordis, flatus, alvi fluxus, choleram & lumbricos,) febri malignæ, morbo comitiali, ac variolis: cùm ob ſudorem, quem elicit; tùm quod malignitati adprimè adverſetur: idque fortaſſis meliore cum eventu, quàm ullum aliud, iſti operi ſpeciatim dedicatum.

Non repudiato interim lapide bezoartico, cui in ſimili caſu plurimum etiam tribuendum; præſertim ſi non ſit adulteratus: nihil enim frequentius hoc fuco. Qui tamen quo detegatur, injiciendus erit lapis in ignem, quo diſſolvatur illud gluten, cujus lentore pulveres, ex quibus coagmentatur, videntur concreviſſe quaſi in ſolidum corpus.

Sed quid dicemus de radice drahenâ, ſive contrayervâ Caroli Cluſii? cujus pulvis, drachmæ pondere exhibitus, ſudorem inſigniter movet: neque minus fortaſſis opis adfert morbis malignis, ac febribus putridis; quàm incertus lapis bezoar. Qui ut, ob pretii magnitudinem, locupletibus gratus; ſic hæc radix pauperibus, utpote minimè cara, ſummè utilis.

At enim verò, epidemicæ huic eruptioni, equidem profectò, nihil vidi fuiſſe pernicioſius externo frigore, ſive aëris, ſive aquæ gelidæ: quâ conclavium pavimenta, à mulierculis, improvidè deterſa, excitabant proti-

tinus insignes convulsiones; ne dicam terribiles, morbi comitialis, insultus, cum algido extremorum frigore. Cui rerum desperationi nisi opem actutùm tulisset theriaca antiqua; multi profectò amisissent, quâ etiamnum prosperrimè fruuntur, dulcissimam lucis usuram.

Decedentibus interim non paucis ex hac vitâ: cùm ob febres, vires continuò atterentes; tùm ob erosa pulmonum, jecinoris, ac lienis viscera, quibus addere oportet fœda, partium extremarum, ulcera. Quorum tetro halitu inficiebantur non magis ægri, quàm qui illorum curam gererent. In quorum facie, labiis ac linguâ, vidisses pessima illa ulcera, quasi infallibilia instantis pestilentiæ præsagia: quæ etiam anno insequente, tanto impetu per patriam nostram oppidatim grassata est; & potissimum quidem Harlemi, atque Lugduni Batavorum: ut multa hominum millia trucidaverit.

CAPUT LIII.

Improvida sanguinis detractio.

ADolescens infractæ ætatis, pertæsus febris quartanæ, ac prodigus suæ salutis, coëgit in Insulâ Cypro, invitum Chirurgum, plus sanguinis sibi detrahere, quàm vel morbo conveniret; vel vires ipsius fo-

rent

rent ferendo. Quo temerario auxilii genere tantum abest, ut quartana vel tantulum sit imminuta: ut potiùs plurimùm increverit, exhaustisque vitæ fontibus, privaverit corpus omni suo colore, decoreque; relictis illi duntaxat præcordiis inflatis, cruribus turgidis, stomacho infirmo, ac tam pertinaci ciborum fastidio: ut vel cœco apparuisset, quàm atrox bellum sibi intulisset juvenis animi impotens.

Quam corporis ipsius ægritudinem licet paullatim viderentur ademisse remedia; mansit tamen perpetuò viribus adeò effœtis: ut, etiam ex levissimis morbis, incideret continuo in gravissima symptomata; veluti, ex pedis inflammatione, in gangrænam, & ex paralysi, non modò in stuporem mentis, verùm etiam in ipsam mortem.

Noli itaque, quisquis es, quartanam, quæ neminem jugulat, temerè irritare. Non feres id impune, sed reddes illam facile deteriorem; & præcipitabis te in exitium. In quod non semel vidi delapsos, qui, intempestivis remediis, interturbassent naturalem, innoxiæ hujus febris, ordinem.

CAPUT LIV.

Noxa ex libris medicis.

QUod gladius in manu furiosi, id liber medicus est artis imperitis; qui tam facilè legunt, quod nolint, quàm quod velint. Imperitia quippe malus thesaurus: quâ imbutus videris capere, quæ te capiunt, concipisque, ex malè intellectis, præjudicatam opinionem; quæ, ubi peperit pervicaciam, actum est de homine imperito: quem deinceps ne ingeniosissimus quidem mortalium ab sententiâ suâ facilè dimoverit.

Bartholomæus Æthiops, delicatè ac molliter educatus, noluit fractum luxatumque fibulæ os, à Chirurgo dexterrimè in talum iterum repositum, convenienter, præ animi impotentiâ, ut moris est, deligari, atque in canalem deponi; veritus nescio quem doloris cruciatum, cujus tamen idcirco nequaquam fuit expers. Ferulâ enim fracturæ negligentius circumpositâ, fluctuabat non modò os illorum; verum permansit quoque, ob tardum inæqualemque ipsius coalitum, totus articulus adeò deformis, ac distortus: ut ipsi deinceps nunquam licuerit incedere sine scipione, nedum acerbissimo doloris sensu.

Quo indies magis ac magis invalescente, ivit tandem solatium quæsitum ex libris medi-

dicis Ambrosii Parei. Quibus perperam intellectis, accommodavit suræ suæ infortunia, quæ auctor ille adstruit sequi fracturam ossis femoris: ignarus, morborum similitudines facilè imponere, etiam optimis Medicis, nedum artis medicæ rudibus ac planè imperitis.

Quæ certè inconsiderata lectio tantum perterruit imparatum hunc ægrum: ut, animo se angens, consideret certò certius fibulæ suæ eventuras, quas legerat Pareum femoris fracturæ attribuere, calamitates. Quæ indefessa, irrequietæ mentis, cogitatio ipsum tandem præcipitavit, primùm quidem in delirium melancholicum; deinde verò in verum furorem: insidente imaginario hoc infortunio penitus cerebro; quam ut ullis machinis inde denuò evelleretur. Adeò suos quisque patimur manes, labimurque sæpenumerò inscii in inextricabilem errorem.

Inter alios autem, deviæ mentis, lapsus, credebat, exstinctis jam oculorum facibus, se nihil ulterius cernere. Quod imaginarium glaucoma furtim ipsi quo eriperem, duxi ipsum aliquando ad ædium fores, dissimulaturus me non videre lineas horologii, è directo illis oppositas. Quam visus mei imbecillitatem ubi visus sibi fuit animadvertere, indicavit mihi horam; uti ego illi vicissim, quam oblitus erat, falsam suam cœcitatem. Cujus ima-

imaginariam caliginem ſtratagemate hoc actutùm vidimus ſublatam; ſecundùm illud Celſi: Aſſentiendum ſæpiùs quàm repugnandum melancholicis; & paullatim, non evidenter, ab his, quæ ſtultè dicuntur, ad meliora mens ipſorum abducenda.

CAPUT LV.

Digiti racemoſi.

VIrginibus, ob ſuppreſſa menſtrua, uti male cedunt carbonum, picis, cretæ, calcis, lapidum, aliarumve rerum inuſitatarum edulia; ſic nocent invicem prægnantibus fœtuique denegata, cui cuimodi fuerint, quæ præ malaciâ expetuntur, alimenta.

Mulier gravida, decerptura ex palmite racemum, ægrè tulit, quam patiebatur, repulſam: diſceſſitque tantùm non mœſta, ac animi ſe angens; ſed quaſi deſperanti proxima. Unde factum, ut conformatrix uteri vis irritata, effinxerit embryonis digitos, præter Naturæ ordinem, non tam ex articulis, quàm ex acinis uviſque, à tereti pediculo pendentibus; planè adinſtar illius racemi, quem ipſi denegaverat hortulanus. Adeò nihil tam leve eſt, quod interdum non faciat magnæ rei momentum.

Heu vanas hominum ſpes! & incertum noſtri conceptus eventum! adeone, ob unius

uvæ repulſam deformari hominem, qui omnium animalium exſuperat formas? quid ſuperbimus miſeri? & quam incertam concipimus ſæpiùs futuræ ſobolis certitudinem? Varius profectò ac mutabilis admodùm eſt mulierum ſexus; penes hunc tamen voluit imperveſtigabilis Dei omnipotentis Providentia conſiſtere ſanitatem maximorum Regum, ac formam illarum manuum, quæ, ſceptris ac potentiâ ſuâ, territant orbem univerſum.

CAPUT LVI.

Unguis in tertio digitorum articulo.

UNgues in digitorum apicibus, ſemel deperditos, iterum renaſci, novum non eſt; ſed rarò id conſpicitur fieri, in ſecundo aut tertio articulo, prioribus amputatis. In quibus tamen, non ſemel, eoſdem vidimus non ſecus progerminare, debitamque acquirere formam; ac ſi in digitorum conſiſterent apicibus: deponente nunquam ſolicitudinem ſuam officiosâ Naturâ.

CAPUT LVII.

Oleum ſulphuris arthriticis utile.

PHilippo Leyo, arthriticis doloribus ſæpius obſeſſo, nihil prius fuit oleo ſulphuris, partibus dolentibus illito. Quo tamen remedio,

evitatâ obnixè ſanâ cute, adeò non nocuit articulis obſeſſis; ut potius plurimum illis profuerit: relicto duntaxat, in extimâ cute, flavo aliquo colore. Quem deinde deterſum ibat, per ſanguinolentam carnis ſalitæ muriam, quam poſt olei litum, partibus circumpoſuit; idque tam frequenter: ut nullum ulterius ſit dubium, quin cutis id remedii genus ſit ferendo, ſine ullâ vel minimâ corporis offensâ.

CAPUT LVIII.

Curatio obſtipi capitis.

PRout varia ſunt muſculorum paria, quæ, ſimul agendo, caput vel in hanc, vel in illam ordinatè deflectunt partem; pro eo utique occurrit non unum deformitatis genus, ubi illi ipſi muſculi, non conjunctim, ſed ſeparatim moti, caput diſtorquent in alterutrum humerum: ob induratum corrugatumque, illius lateris, muſculum. Cujus obliqui ſitus cauſſa potiſſimum conſiſtit in muſculis maſtoïdeis ac ſcalenis; quorum illi latiore, hi verò tereti tendine accreſcunt claviculæ oſſi, prope commiſſuram illius cum jugulo ac oſſe ſterno. Quorum profectò muſculorum rigidam, ac calloſam duritiem niſi diutinis fomentis, aut inſtrumentis ferreis ad naturalem poſitum figuramque reduxeris; unicum re-

medium eſt, confugere ad ſcalpellum: quo tamen etiam, non niſi acri circumſpectione, utendum.

Filio Conſulis Mittelburgenſis, annorum duodecim, ab ineunte ætate, obſtipo capite, inclinabat cervix in humerum ſiniſtrum: ob adſtrictum curvatumque alterum muſculorum, ſecundi illius paris, quod cervicem cum capite antrorſum flectit. Quâ deformi, immobilis ac transverſi capitis, figurâ, nullis auxiliis deinde ad naturalem ſtatum reductâ; conſultum viſum fuit Gulielmo Strateno, Principis Arauſionenſis Medico, ac Franciſco Vicquio, qui mecum adoleſcentulo medicinam fecere, ut tranſverſim præcideretur tenaciſſimum illud vinculum, quod caput tantoperè in humerum contorqueret. Quam operam Amſtelredami deinde dexterrimè navavit, qui etiam aliis in ſimili affectu opem feliciter tulerat, Iſacius Minnius, ob opera chirurgica multis ſummè commendatus.

Factum autem fuit curationis initium à cruſtâ, per lixivium coctum cuti inuſtâ; deinde verò directum ſcalpellum, ſupra claviculæ os, ab aure verſus jugulum: at tardiùs certè, ob cruſtæ lentitudinem, ac timidiùs, propter venarum arteriarumque jugularium viciniam, quàm natura tendinis ac nervorum requireret. Quibus idcirco magis punctim, quàm cæſim, læſis, ſequebatur protinus vehemens cer-

vicis

vicis, faciei, ac brachiorum convulſio: quæ tamen brevi iterum evanuit, adacto penitiùs ſcalpello, & præciſo animoſiùs integro, qui in vitio erat, muſculo. Cujus amputatio capiti actutùm reſtituit integrum erectioris figuræ uſum, ac libertatem ſeſe quocunque locorum movendi. Quâ tamen ne abuteretur, circumpoſitæ capiti fuere variæ faſciæ; quibus deinde, ob vulnus brevi conſolidatum, amotis, permanſit tamen aliquamdiu inveterata illa inclinatio in latus affectum: adeò difficile eſt longam corrigere conſuetudinem.

Quiſquis verò deinceps ancipiti ac periculoſæ huic ſubjicieris aleæ, ne deſperes iterum fieri poſſe, quæ ſemel facta ſunt. Sed ſcito tria præcipuè vitanda: & primùm quidem, ne cruſtam cuti inuras, utpote quæ adeò non profuit dolori, ut priùs multùm nocuerit cùm viſui, tùm incidenti ſcalpello; deinde, ne improvidè ſecando magis jugules, quàm cures ægrum; danda ad hæc opera, ne identidem ac interpolatis vicibus, ſed ſimul ac ſemel, attamen cautè, integrum muſculum præcidas: in quo potiſſimum hujus curationis momentum. Quæ certè animadverſio, ut Chirurgo ex famâ, ſic ægro non parùm ex uſu erit.


CAPUT LIX.


Unicornu marinum.

QUantumvis acriter diſceptetur, utrum etiamnum alicubi extet unicorne illud animal, cui Sacræ Literæ, præter indomitam ferociam, pretioſum attribuunt cornu: extra tamen omnem controverſiæ aleam eſt, pleraque omnia, quæ à magnatibus aſſervantur, cornua, adeò non eſſe feræ alicujus terreſtris; quin potius prodire ex belluâ marinâ, cujus cornu paſſim reperire eſt, cùm in mari Boreali, tum etiam in Iſlandiæ, Groenlandiæ, aliarumque vicinarum inſularum littoribus: ſive ſejugatum à corpore; ſive cranii particulis etiam nunc inſidens. Cujuſmodi certè cornua nobis oblata fuere quàm plurima, vel ex direptis Principum Germaniæ gazis, vel à nautis, ceu opima maris ſpolia, Amſtelredamum delata.

Inter quæ unum cæteris longè præſtabat, colore ac formâ oculis gratum, capitique tam accuratè adhuc infixum: ut, ad rei memoriam, id æri lubens incidiſſem; niſi haud diu pòſt oblatum fuiſſet integrum monſtrum, à Chirurgo marino depictum, cujus caput, cum unicornu ipſi inhærente, coram conſpeximus: cujus ſpeciem propterea malui ſpectatorum oculis repræſentare, ſed eâ fide, quâ illam in tabellâ delineavit Chirurgus, id temporis, navi huic à medicinis.

Erat


ũnicornũ marinũm
tab. XVIII.


Longũm $9\frac{1}{2}$ ped.
desen Horen was lanck $9\frac{1}{2}$ voet


Longũm $8\frac{1}{2}$ ped.
desen Horen was lanck $8\frac{1}{2}$ voet

Erat autem hic piſcis (cujus cadaver, anno cIɔ Iɔ CXLVIII. IV. nonas Junias, inventum fuit in mari Aquilonari, prope inſulam Majam) admodum obeſus, longus pedes duo de viginti, latus duodecim, capite cyprino, ſive carpioni ſimili. Os latitabat infra cornu, quod protuberabat ex oſſibus maxillæ ſuperioribus, inter ſe dehiſcentibus, ibidem propemodum loci, ubi Priſtis dentatam emittit ſerram: non quidem exactè in maxillæ medio, ſed loco aliquatenus dextrorſum vergente; licet lævorſum in neutro, quod conſpexi, cranio ullum alterius cornu occurrerit veſtigium. Corium autem erat fuſcum, & ſub illo plurimum lardi: è quo copioſum quidem igne mercatores elicuere oleum; attamen, præ odoris fœditate, parum ipſis lucroſum. Spina dorſi ut ex validis conſtabat vertebris; ſic deſinebat in caudam bifidam, adhærente utrique lateri pinnâ ſatis validâ. Cornu verò erat rectum, durum ac album, ſtriiſque profundis, à latiore baſi, uſque ad acutum mucronem, tam æquabiliter ornatum: ut juraſſes, te videre nitidum ac niveum ebur, exquiſitiſſimâ arte expolitum. Longitudinis erat novem pedum; ſeptem cum dimidio extra cranium protuberantibus, ſeſquipede verò eidem etiamnum inſidente: cujus exemptæ ſuperficies etiam reliquo corpore fuit aſperior, minuſque ſplendicans.

Figura hujus piſcis (quem Iſlandi Narhual ſive

ſive cadaver balænæ indigitant) à Thorlac, Scaloniæ Holæ in Iſlandia Epiſcopo, Legato Gallico la Tuilerie in Daniam tranſmiſſa, & Lutetiæ Pariſiorum poſtmodum typis in publicum edita, ad amuſſim cum noſtra convenit tabula; præterquam quod noſtro cadaveri, præ flacciditate in ſe concidenti, defuerint in cervice duo illa foramina, per quæ cum cæteris Balænis monſtrum hoc aquam emiſerat.

Sed quid dicam de Cajo Plinio, lib. XI. cap. XXXVIII. aſſerente, vera cornua ſolis quadrupedibus dari? at non vidiſti fortè Plini vel ſummam hujus unicornu elegantiam nitoremque, vel ſolidos illos Roſmari, ſive Elephantis marini (quem noſtrates Walruſſer vocant), dentes: qui ut pretio non cedunt elephantinis; ſic neque marinum hoc cornu, ullis terreſtrium animalium cornibus. Quibus etiam virtute nequàquam inferius eſt: ſive in expellendis variolis ac morbillis; ſive in domandis febribus malignis. Quæ alexipharmaca vis, cum pulcherrimà ipſius venuſtate conjuncta, permovit fortè Reges ac Principes cornu hoc carè emere, neque minoris æſtimare, quàm gemmas ac lapides pretioſos: quorum admirabile atque excellens artificium adeò non hominibus, quin etiam ipſi Deo dignum videtur quî ametur, atque in honore habeatur.

At negat Caſparus Bartholinus, Vir limati judicii, Arctoo huic unicornu ineſſe vim ſingula-

rem adverſus venena; quam tamen nos non ſemel in ipſo evidenter animadvertimus. Sed impoſuit fortè viro incluto, quod in canibus fecit periculum, ſive per arſenicum, ſive mercurium ſublimatum; quibus duobus potiſſimum in ejuſcemodi tentamentis utimur. Quæ ſicca atque adurentia venena ut maximè temperat lene aliquod oleum; ſic adeò non refrenat, nedum coërcet, quin potiùs exaſperat ſiccus non modò hujus unicornu, verùm etiam quorumcunque cornuum, pulvis.

Sed dicat quis: anne igitur nigrum veri monocerotis cornu, à Plinio, Æliano, Solino, aliiſque prioris ætatis, memoriæ proditum, venenis tam expreſſè adverſatur, uti conſtans fama eſt, ac paſſim in ore omni populo? vis me veritati litare? nullus è priſcis auctoritate ſuâ id adſtruit, nedum cuiquam, illius ævi, ejus unquam in mentem venit; quin potius, quicquid illius alexipharmacæ virtutis eſt, id paſſim acceptum ferunt, non tàm monocerotis cornu (de cujus virtute altum ipſis ſilentium), quàm aſini ſylveſtris. Cujus encomium, perperam intellectum, procul dubio anſam dedit ſpiſſo illi errori, in quem quidem adeò non delapſi, verùm planè immerſi, neſcio quàm gloriosè prædicarunt antiquorum hoc cornu, ceu præſentiſſimum ad venena remedium. In quo futili còmmento equidem profectò non poſſum ulterius connivere; ſed diſpudet mundo tamdiu verba data, in

re-

remedio, à nostri seculi hominibus, cogitatione potiùs, quàm usu aut eventis deprehenso: uti videre est apud Hieronymum Mercurialem, Ambrosium Pareum, aliosque artis nostræ Coryphæos.

Quo veriloquio antequam tamen orationi huic finem imposuerim, operæ fuerit, æquâ animorum bilance, explorare impetum illum, quo Olaus Magnus, lib. XXI. cap. X. affirmat, ferox ac fidens hoc monstrum, in Boreali mari, efferri in naves obvias; quo illas cornu suo (quod tamen malè in fronte collocat) perfodiat. Quam eandem vim etiam Xiphiæ pisci, sive Gladio Plinii, legimus attributam ab Ovidio, Oppiano, Paulo Jovio, aut nautis nostratibus; à quibus fragmenta cornuum inventa fuere in navium carinis, rubente undique mari à profuso belluarum sanguine. Unde illud Poëtæ:

Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis.
—— —— —— A remige læsi
Cum sint perfossi sua membra tricuspide telo
Sæpè repellentes, hostem mucrone carinam
Irati penetrant.

Cujus Xiphiæ speciem memini me vidisse captum, ad quatuor millia passuum ab insulâ Texaliâ, circa initium belli intestini Britannici; quasi præsagium illius καταστροφῆς, quæ Regem cum regno pessundedit universo: exprimente hujus piscis ense, ad amussim, illam gladii speciem, quam nostrates Ceupedarm indigitant.

CAPUT LX.

Herba Thée.

INdiæ Orientali nihil familiarius est potione, decoctâ ex herbâ, quam Chinenses Thée, ac Japonii T'chia vocant: cujus notitiam, ab illis, qui cum summo imperio illic præfuere, mihi communicatam, equidem lubens posteritati tradam. Sunt itaque huic herbæ, ut folia oblonga, acuminata, & in ambitu crenata; sic radices fibrosæ, ac in minimas particulas dispersæ. Crescitque tantùm non in Chinâ ac Japoniâ; verùm etiam in Chiam: at eo discrimine, quòd Chinensis folia sint ex nigro viridia; Japonensis verò colore dilutiore, ac sapore gratiore. Unde quoque fit, quod Japonensium T'chia longe pluris etiam æstimetur quàm Chinensium Thée; veniatque non raro una ipsius libra, centum argenti libris.

Quippe creditur hìc passim, nihil hac herbâ salubrius: cùm ad vitam, in extremam senectutem, prorogandam; tùm ad impedienda quæcunque sanitatis incommoda: neque ipsam solùm corpora reddere vegeta, atque arcere calculi dolores, quibus hìc neminem dicunt obnoxium; verùm etiam tollere dolorem capitis, gravedinem, lippitudinem, destillationem, spiritus difficultatem, ventriculi imbecillitatem, intestinorum tormina, lassitudinem,

ac ſomnum. Quem tam evidenter compeſcit: ut, ſorbitionem hujus decocti aſſumentes, videas interdum integras noctes lucubrando conſumere, ac, ſine ullâ moleſtiâ, evincere inexpugnabilem cæteroquin dormiendi neceſſitatem. Calefacit enim modicè, &, adſtringendo ventriculi oſculum, refrenat coërcetque uſque eò vaporum, ad ſomnum conciliandum neceſſariorum, adſcenſum: ut nihil impedimenti offeratur illis, qui ſcribendo aut meditando ſatagunt noctes tranſigere.

Videtur autem hæc planta non longè cognita fuiſſe Chinenſibus, neque admodum diu in uſu. Deſunt enim ipſis avita, quibus eam deſignent, nomina; ſive hieroglyphici illi characteres (quales fermè ſunt omnes Chinenſium literæ), quibus exprimant ipſius naturam.

Differuntque etiam haud parum inter ſe diſcrepantes hæ nationes circa utendi rationem: permiſcentibus Japoniis pulverem hujus plantæ, in lapide ophitide contritum, aquæ calidæ; Chinenſibus verò ipſam plantam, cum paucis ſalis ſacchari ve granis, ex liquore aliquo decoquentibus. Quod decoctum deinde calefactum officioſiſſimè propinant cùm convivis invitatis; tùm quibuſcunque, honoris cauſſâ, ipſos ſalutatum venientibus: idque ea animorum inclinatione, ut Principes etiam viri non detrectent, quin potiùs honori ducant, ſuis manibus hanc herbam vel amicis decoquere, vel alioquin

quin ei miſcendæ temperandæve operam ſuam impendere. Exſtructis propterea, in palatiorum ſuorum interioribus, conclavibus ac foculis, ex pretioſiſſimis lapidibus ligniſve, iſti operi ſpeciatim dicatis: in quibus etiam curiosè aſſervantur ollæ, tripodes, infundibula, calices, cochlearia, aliaque perpolita hujus culinæ inſtrumenta; quæ, aliquot aureorum millibus redempta, ac ſericis integumentis involuta, intimis ſolummodò amicis oſtendunt, neque minori habent loco, quàm apud nos adamantes, gemmas, ac baccata ſummi pretii monilia. Uti videre eſt apud Joannem Maffæum, rerum Indicarum lib. VI. & XII. & Ludovicum Almeydam, ſelect. epiſt. lib. IV. & Petrum Jarricum, tom. II. lib. II. cap. XVII. & Matthæum Ricium, de Chriſtan. exped. apud Sinas, lib. I. cap. VII. & Aloiſium Frois, in relat. Japonic. & Jacobum Bontium, dialog. VII. Medic. Ind. & Joannem Linſcotanum. cap. XXVI.

Omnibus placere difficile!

FINIS.

MO-

MONITA MEDICA.

I.

SAtius eſt Medicum officiis demereri, quam ſordidè cum ipſo paciſci.

II.

Vir pius, æquè gratuitam inopi, ac lucroſam locupleti, facit medicinam.

III.

Expedit cautè potiùs imperare, quàm ſervili obſequio nihil non ægris indulgere.

IV.

Medicus ut pluris fit, cui plures fidunt; ſic contrà deſpicatui habetur, cui parum ſolvitur.

V.

Fac ſis videant afflicti propenſam animi tui inclinationem, & non eris laboris irritus.

VI.

Cave repudies Medicum, cui naturæ tuæ proprietas adprimè nota.

VII.

Plurium Medicorum auxilio morbus magis inter initia, quàm circa finem, indiget.

VIII.

In incidenda vena, junior Chirurgus ſenectute confecto præferendus.

IX.

Artis peritus æquè ſecurè arteriam, quàm venam, aperit.

X.

Cancer ulceratus juxta, ac oculorum inflammatio, contagioſus eſt.

XI.

Valentia medicamenta adeò non proſunt convaleſcentibus, ut etiam ſummè noceant.

XII.

Ex vino tenui, in tempore dato, febricitanti robur & ſudor.

XIII.

Unicum deſperati cancri remedium, culter.

XIV.

Eryſipelas proſerpendo ſenſim evaneſcit.

XV.

Crebrius micturienti ut paucus ſudor; ſic plurimum ſudanti invicem parum profluit lotii.

XVI.

Tempeſtiva & exuberans ſaliva optimum juxta, ac præſentiſſimum, acutiſſimarum febrium, auxilium.

XVII.

Ex frequenti Mercurii uſu triſtis exhalatur mephitis.

XVIII.

XVIII.

Sanguis, è talo missus, succurrit non minùs vertigini, capitis, oculorum, pectoris ac jecinoris dolori, quàm affectibus uterinis.

XIX.

Singultus loquendo invalescit; &, ut cum febre periculum augetur, sic, eâdem decrescente, res in vado est.

XX.

Luridus livor, in contusa effracti ossis cute, indicat intus aliquid monstri ali.

XXI.

Frequens aquæ mulsæ potus bilem impendio nimis auget.

XXII.

Calculosis prosunt vina Mosellana, oleum olivarum, & butyrum recens.

XXIII.

Capitis ac pectoris morbi multis sæpenumero, nec opinantibus, exitio fuere.

XXIV.

Antimonium, præposterè in febre continua potui datum, inemendabile dat damnum.

XXV.

Medicus crebrò vomitum ciens ægris, non tantum horrori, quin & sanitati maximè noxius est.

XXVI.

Sanguis, in febre ſynocho actutum miſſus morbum, dictum ac factum, jugulat.

XXVII.

Axillarum abſceſſus raro ante menſis curriculum matureſcunt.

XXVIII.

Ex confirmato viſcerum infarctu cachexia, atonia, & mors.

XXIX.

Sanguis, in pulmone aut cerebro ubi ubi deliteſcens, inevitabiles vitæ ſtruit inſidias.

XXX.

Improvidus theriacæ uſus febrem intermittentem, ſæpenumero, mutat in continuam.

XXXI.

Ne incidas in recidivam, vita ſalmonem exſuctum, aſellum minus recentem, & quicquid durioris digeſtionis.

XXXII.

Nutrix ægritudinem ſuam facilè infanti communicat.

XXXIII.

Olera hyberna ut infirmis flatulenta, ſic nulli ætati ſalubria.

XXXIV.

Aurum ad lapidem Lydium, & lapis Bezoar ad ignem, exploratur.

XXXV.

Ex prolapsu cartilaginis ensiformis marcor, seriùs aut ociùs.

XXXVI.

Uni adolescentiæ datum, ut à morbo corpus fiat procerius.

XXXVII.

A condito zinzibere interdum sanguinis mictus.

XXXVIII.

Ne à sanguine misso animo linquas, os frigidâ colluendum.

XXXIX.

Opium tenellæ ætati, atque angusto pectori, juxta perniciosum.

XL.

Optima vivendi lex, propria cujusque natura.

XLI.

Lingua ut inficitur ab radice, sic detergetur primùm ab apice.

XLII.

Ex pinguedine oriuntur, in quorundam cute, pustulæ, erysipelas, febris, quin imo interdum non minùs sudor frigidus, quàm præsens vitæ periculum.

XLIII.

Lateris dolor raró sine recidiva finitur.

XLIV.

Ut pleuriticorum ſanguis, ex inciſa venâ, uberius fluat, ſæpiùs tuſſiendum ægro.

XLV.

Acutus lateris dolor requirit, etiam in puerperis, toties ſanguinem detrahi, quoties id extorſerit inevitabilis cruciatus.

XLVI.

Dolor lateris, confeſtim in jecur delatus, in præſentiſſimum præcipitat exitium.

XLVII.

Liberalis ſeptimi diei ſudor, perducit biliosam pleuritidem, ad omnimodam ſalutem.

XLVIII.

Calculus, tunicâ undiquaque obvolutus, haud gravatè emingitur.

XLIX.

Eductio calculi, per dilatationem veſicæ, non ſemper mulieri ſalutaris.

L.

Calculus & articulorum dolor, morbis hæreditariis annumerandi.

LI.

Circumſpecti Lithotomi eſt, fluctuantes quidem calculos educere; ſed, qui inter utramque tunicam deliteſcunt, prudenter relinquere.

LII.

Calculorum fragmenta prodiere quidem aliquando, ex mutuo eorundem attritu, sed ex acri medicamento ecquis id vidit?

LIII.

Durante asthmate aut quartanâ, cessat quidem articulorum dolor; sed neutiquam in perpetuum.

LIV.

Dolor articulorum nullibi, quàm in cervice ac lumbis, gravior.

LV.

Ex febre intermittente, non tam frequens juvenibus, quàm senectuti, atque infirmis, mors.

LVI.

Urina nigra, ut in febribus continuis infirmo præsagit mortem; sic perducit, in lienis obstructionibus, robustum ad prosperam valetudinem.

LVII.

Post febrem ardentem evadunt pauci, aut pilorum casum, aut cutis excoriationem.

LVIII.

Hydrops quartanæ quidem gravis, at anorexia & apepsia multò pejores.

LIX.

Surditas ex febre passim cum ea evanescit.

LX.

Scorbuticis gingivarum ulceribus, nisi maturè unguento Ægyptiaco, oleo vitrioli, aut alumine usto, obviam eatur; præpropere indurescunt malæ, accenditur guttur, proserpit putredo, ac demum consumitur æger.

LXI.

Febris quartana, quæ passim oritur circa solstitium autumnale, desinit plerumque intra initia veris.

LXII.

Sed prout hiems mitior, asperior, aut productior; pro eo utique erit quartana minor, major, aut longior: in juvenibus plerumque sanabilis, ut in senectute sæpenumero lethalis.

LXIII.

Pertinaci morbo, ac constantibus viribus, non malè interdum convenit exacta, sive antimonii, sive mercurii, præparatio.

LXIV.

Juventus forte erit ferendo gangrenam post febrem, at provecta ætas quando?

LXV.

Sudor universalis, ante febris intermittentis accessum, morbum ex toto solvit.

LXVI.

Febris intermittens, cum mentis stupore; neutiquam periculi expers est.

LXVII.

Duæ tertianæ non simul, sed interpolatis terminantur diebus.

LXVIII.

Hemicrania laborantibus expedit silere.

LXIX.

Rhabarbarum adeò nulli nocet, ut, etiam quocunque tempore, & cui cuimodi conveniat ætati.

LXX.

Corallia, acri aceto præparata, cane pejus & angue, infirmis ac teneris pulmonibus, vitanda.

LXXI.

Cavesis ex brachio paralytico, ob gangrænæ metum, sanguinem unquam inconsideratè detraxeris.

LXXII.

Qui mentis suæ aliquamdiu fuit impos, sub finem vitæ sæpius ad se redit.

LXXIII.

Quartana, ut inter initia cautè tractanda, sic multò magis sub finem.

LXXIV.

Arsenicum, pectori inhærens, tantum abest ut pesti opituletur; ut etiam, ob syncopen & ulcuscula inde orta, plurimum noceat.

Dei fruitio summum bonum.



ILLU-

ILLUSTRATIONES TEXTUUM

HIPPOCRATIS,

aliorumque Auctorum in

T U L P I OBSERVATIONES,

cura ac labore

ABRAHAMI SALOMONIS VANDER VOORT,

M. D.

Pag. 1. *Ἔσφλασις Hippocratis*, lib. de Vulner. Cap. text. 7. n. 4. & text. 8. n. 7.
4. *Hippocrates*, de Vulner. Cap. text. 16. n. 2.
5. *Idem*, Sect. 7. aphor. 50. & in Coac. Prænot. Sect. 2. n. 53 & 54.
- - - *Διεστηκὸς τὸ ὀστέον*, *Idem*, in Coac. Prænot. text. 2. n. 54.
7. *Cornel. Celsus*, lib. 5. cap. 26.
10. *Actuarius*, lib. 1. Method. medend. cap. 16.
11. *Corn. Celsus*, lib. 2. cap. 8. in fin.
- - - *Hippocrates*, in Coac. Præn. text. 1. n. 97.
13. *Hippocrates*, aph. 51. lib. 6.
14. *Corn. Celsus*, lib. 3. cap. 27.
15. *Hippocrates*, lib. 6. Epid. Sect. 5. n. 1.
17. *Fernelius*, Patholog. lib. 5. cap. 3.
18. *Hippocrates*, lib. 1. Præd. text. 9. n. 1.

pag. 20. *Corn. Celsus*, lib. 4. cap. 9.
29. *Aretæus Cappadox*, lib. 1. de Cauſ. diuturn. affect. c. 2.
33. *Hippocrates*, aph. 12. lib. 2.
34. *Fel. Platerus*, lib. 1. Prax. cap. 3. & in lib. 1. Obſerv. p. m. 85 & 86.
36. *Corn. Celsus*, lib. 3. cap. 18.
- - - *Fernelius*, lib. 2. de Abd. rer. cauſ. cap. 9.
[illegible] *Corn. Celsus*, lib. 5. cap. 27.
- - - *Cæl. Aurelianus*, lib. 3. de Morb. acut. cap. 9. &c.
4[illegible] *[illegible]m*, ibid.
42. *Aëtius*, Tet. 2. Serm. 2. c. 24.
43. *Galenus*, Comm. 2. in Prorrh. cap. 55.
44. *Actuarius*, lib. 1. Meth. medend. cap. 16.
53. *Casp. Bauhinus*, in Anatom. lib. 3. c. 7. de Cordis Ventric.
56. *Paul. Ægineta*, lib. 3. c. 22. & lib. 6. c. 19.
- - - *Corn. Celsus*, lib. 7. c. 7.
- - - *Vict. Trincavellius*, lib. 3. c. 6. de Affect. particul.
- - - *Fabr. Hildanus*, lib. 6. Obſ. 1.
57. *Corn. Celsus*, lib. 6. c. 6.
- - - *Aëtius*, Tetrab. 2. Serm. 3. c. 24.
58. *Corn. Celsus*, lib. 7. cap. 7.
- - - *Paul. Ægineta*, lib. 3. c. 22.
- - - *Rufus Ephesius*, in lib. 1. de Corp. Human. partium appellatione, c. 4.
59. *Galenus*, lib. 1. Sympt. cauſ. c. 2.
61. *Hippocrates*, lib. 1. Præd. text. 11. n. 2.
- - - *Idem*, in Coac. Prænot. text. 3. n. 330. & text. 2. n. 194.
62. *Galenus*, Comm. 2. in Prorrh. c. 2.
- - - *Aëtius*, Tetr. 2. Serm. 3. c. 48.
63. *Hippocrates*, lib. 6. aph. 10.
65. *Galenus*, lib. 3. de Loc. affect. cap. 7.
66. *Idem*, lib. 14. Meth. c. 12.
68. *Barthol. Eustachius*, de Auditus Organo, p. m. 162 & 163.
71. *Hippocrates*, in Coac. Prænot. text. 1. n. 53. & in lib. 3. Epid. Sect. 3. ægr. 3.

77.

Hol-

pag. 134. *Hollerius*, lib. 1. de Morb. intern. p. m. 402.
- - - *Trincavellius*, lib. 10. de Part. affect. c. 6.
137. *Corn. Celsus*, lib. 3. c. 21.
138. *Galenus*, in Comment. in aph. 18. lib. 6.
139. *Idem*, lib. 6. de Loc. aff. cap. 5.
142. *Adr. Spigelius*, lib. 8. de Fabric. human. cap. 13.
- - - *Reald. Columbus*, lib. 15. p. m. 488.
143. *Hieron. Fabric. ab Aquapendente*, Opera. Chirurg. cap. 52.
145. *Hippocrates*, lib. 2. Præd. text. 42.
148. *Aretæus Cappad.* de Sign. diut. morb. lib. 2. cap. 1.
151. *Joan. Fernelius*, partic. Morb. lib. 6. cap. 8.
155. *Corn. Celsus*, lib. 3. cap. 21.
157. *Hercul. Saxonia*, lib. 3. Pract. Medic. cap. 32.
158. *Anton. Benivenius*, Obs. 81. & Dodonæus Obs. 38.
- - - *Corn. Celsus*, lib. 2. cap. 8.
160. *Galenus*, Comm. 33. lib. 3. de Vict. Morb. acut.
- - - *Hippocrates*, lib. 7. aph. 10.
161. *Galenus*, Comm. in aph. 26. lib. 3.
170. *Aretæus Cappad.* lib. 2 diut. Aff. cap. 2.
- - - *Paul. Ægineta*, lib. 3. cap. 45.
- - - *Galenus*, lib. 6. de Loc. aff. cap. 3.
- - - *Vict. Trincavellius*, lib. 10. de Aff. particul. cap. 11.
- - - *Alex. Trallianus*, lib 9. cap. 8.
- - - *Aretæus Capp.* lib. 2. de Sign. diuturn. Morb. cap 2.
171. *Dioscorides*, lib. 7. cap. 14.
- - - *Aëtius*, Tetrab. 4. Serm. 1. cap. 22.
174. *Ambr. Pareus*, lib 19. cap. 3.
179. *Andr. Matthioli*, Epistol. ult. libri 3.
187. *J. Riolanus*, Anthropograph. lib. 2. cap. 28.
- - - *Joh. Beverovicius*, de Calculo, cap. 29.
189. *Casp. Bauhinus*, & *Volch. Coiter*, in Anatomia.
194. *Prosp. Alpinus*, Medicin. Ægypt. lib. 3. cap. 14.
195. *Hippocrates*, lib. 5. aph. 47.
204. *Corn. Celsus*, lib. 4. cap. 15.
205. *Herc. Saxonia*, in Prælect. Pract. Part. 2. cap. 20.

206.

Cel-

pag. 246. *Corn. Celsus*, lib. 6. c. 29.
252. *Dioscorides*, lib. 5. cap. 91. & lib. 6. cap. 29.
255. *Plinius*, lib. 26. cap. 11.
256. *Joan. Langius*, in Epistol. 32. Medicin. lib. 1.
- - - *Scribon. Largus*, cap. 106.
261. *Oribasius*, Coll. lib. 7. cap. 16.
- - - *Corn. Celsus*, lib. 2. cap. 11.
262. *Fabric. Hildanus*, Cent. 1. Obs. 80.
264. *Ant. Benivenius*, Obs. 14.
266. *Galenus*, lib. 1. Epid. Comm. 3. text. 2.
267. *Hippocrates*, lib. 1. Epid. Sect. 3. n. 17.
- - - *Corn. Celsus*. lib. 3. cap. 15.
- - - *Galenus*, Comm. 3. lib. Epid. text. 4.
268. *Brassavola*, Comm. in aphor. 32. lib. 2.
- - - *Hippocrates*, aphor. 7. lib. 1.
273. *Plinius*, lib. 7. cap. 3.
274. *Idem*, lib. 5. cap. 5.
279. *Galenus*, Loc. affect. lib. 3. cap. 7.
281. *Philotheus*, lib. 5. cap. 7.
283. *Plinius*, lib. 28. cap. 1.
284. *Corn. Celsus*, lib. 3. cap. 33.
- - - *Aretaus Capp.* lib. 1. de Curat. diuturn cap. 4.
- - - *Scribonius Largus*, Compos. Medic. lib. 1. cap. 2.
- - - *Corn. Celsus*, lib. 3. cap. 9.
287. *Jacob. Bontius*, Method. medend. cap. 1.
299. *Herc. Saxonia*, lib. 1. cap. 2.
300. *Corn. Celsus*, lib. 8. cap. 10.
302. *Fabric. Hildanus*, Centur. 4. Obs. 69.
- - - *Corn. Celsus*, lib. 5. cap. 28.
304. *Anton. Benivenius*, Obs. 47.
305. *Fabr. Hildanus*, Cent. 3. Obs. 44.
311. *Joan. Schenkius*, lib. 5. Obs. 1.
- - - *Ludov. Ferrandus*, de Nephrit. p. 8.
315. *Felix Wurtz*, lib. 1. cap. 7.
316. *Galenus*, de Medic. compos. lib. 7.
- - - *Mercurialis*, Variar. Lect. lib. 2. cap. 9.
317. *Corn. Celsus*, lib. 2. cap. 8.

Marc.

FINIS.